

SENTENTIA HVIVS DISTINCTIONIS XXII IN GENERALI ET SPECIALI

[1] *Hic uidetur inuestigandum esse diligenter.* Superius ostendit
MAGISTER tentationis principium extrinsecum. Hic determinat de
principio intrinseco. Et diuiditur in duas. Primo determinat genus
5 primi peccati. Secundo inquirit eius radicem. Secunda ibi: *Solet
autem queri.* Prima in duas. Primo determinat intentum. Secundo
opponit contra determinata, et soluit. Secunda ibi: *His autem opponi
solet.* Prima diuiditur in tres. Primo ostendit genus peccati primo
opponendo in contrarium et determinando. Secundo ostendit
10 quomodo diuersimode fuit elatio in uiro et muliere. Tertio ex hoc
concludit uter eorum plus peccauit. Secunda ibi: *Et talis elatio.* Tertia
ibi: *Ex quo manifeste aduertitur potest.* Et ista diuiditur in duas. Primo
ostendit uter prior peccauit, scilicet uir an mulier. Secundo opponit
in contrarium et determinat. Secunda ibi: *Set huic uidetur contrarium.*
15 Vltima pars, in qua inquirit radicem peccati, diuiditur in duas
secundum duas questiones quas mouet. Secunda ibi: *Si uero queritur.*
Hec est sententia lectionis in generali.

[2] In speciali sic procedit, et proponit primo quod hec fuit radix
et origo illius peccati primorum parentum, quod scilicet in hominis
20 animo processit secundum quosdam elatio, ex qua diaboli suggestioni
consensit hoc ordine, quia prius in muliere quam in uiro, obiicit
autem contra, quia tunc sequeretur quod homo non alterius
suggestione peccauerit, set per propriam superbiam ceciderit sicut
angelus, quod est contra superius dicta. Et respondet quod
25 intelligendum est elationem precessisse, non quidem tentationem, set
opus peccati. Et ideo homo suggestionem peccauit, fuit autem hic ordo
et processus quod precessit diaboli tentatio ex qua post secuta est in
mente elatio, quam secutum est peccatum operis. Vltimo pena
peccati. Postea dicit quod talis elatio fuit in muliere, quia credidit et
30 uoluit habere similitudinem cum equalitate quadam putans esse
uerum, quod diabolus suadebat. Set uir non fuit eodem modo

seductus quo mulier, quia non putauit uerum esse quod diabolus
 suggererat. Aliqua tamen elatio post tentationem in mente uiri fuit,
 quod per auctoritates confirmat. Postea dicit concludendo quod
 mulier plus peccauit quam uir, quia uerum esse quod dixerat diabolus 35
 credit, cum nimia presumptione. Adam uero illud non credit, et
 de penitentia et Dei misericordia cogitauit, magis autem fuit deceptus
 uir quam mulier quantum ad hoc solum, quia putauit peccatum
 commissum esse ueniale quod fuit mortale. Item in hoc minus
 π167^{ra} peccauit uir quam | mulier, quia mulier in se, in proximum et in 40
 Deum, uir autem in se et in Deum tantum. Postea objicit per
 auctoritatem AVGVSTINI, qui ait parem esse utriusque falsum, sicut
 patet in excusatione, ergo et pariter peccauerunt. Et respondet quod
 par fuit utriusque falsus in excusatione peccati, et in esu ligni uetiti.
 Set dicendum est in muliere esse maiorem in eo quod credit et 45
 uoluit esse sicut Deus quod non uir, objicit autem per auctoritatem
 AVGVSTINI ulterius, quia etiam homo uoluit esse sicut Deus. Et
 respondet quod quibusdam uidetur quod Adam aliquo modo
 ambierit esse sicut Deus, non credit tamen istud posse fieri,
 cognoscens falsum esse quod diabolus promittebat, nec tanta 50
 ambitione exarsit sicut mulier exarsit. Aliis uero uidetur quod sic,
 dicitur illud Adam uoluisse, quia illud uoluit mulier que de ipso
 sumpta fuit; ex quibus omnibus concludit quod minus peccauerat uir
 quam mulier. Postea obiicit contra dicta, quia secundum ISIDORVM
 peccatum quandoque fit ex ignorantia, quandoque ex industria, 55
 etiam Eua uidebatur ex ignorantia peccasse, Adam autem ex
 industria, ergo uir magis peccauit quam mulier. Et respondet quod
 mulier in hoc peccauit per ignorantiam, quia uerum esse putauit
 quod diabolus suadebat, non tamen in hoc quod non nouit illud esse
 mandatum Dei, et ideo excusari a peccato per ignorantiam non 60
 potuit, quia omnis excusatio tollitur ubi mandatum non ignoratur, et
 peccatum est secus agere, ubi etiam distinguit de ignorantia quoniam
 est quedam que excusat, et est quedam ignorantia uincibilis, quedam
 non uincibilis. Est enim triplex ignorantia. Vna eorum qui scire
 nolunt et tamen possunt; hec autem non excusat a peccato, set ipsa 65
 est peccatum. Alia eorum qui uolunt, scire set non possunt et hec
 excusat, quia non est peccatum, set pena peccati. Tertia est illorum
 qui simpliciter nesciunt neque renuentes neque proponentes scire, et
 hec aliquo modo, set non plene excusat, quod auctoritate AVGVSTINI
 confirmat. Postea querit cum natura hominis esset sine uitio, unde 70

processit consensus mali. Et respondet quod ex libero arbitro uoluntatis quod homo fieret deterior, fuit in diabolo qui suavit et in homine qui consensit et quamuis libero arbitrio sit bonum, ex eo tamen malus consensus emanauit. Vltimo queritur utrum uoluntas
 75 illud peccatum precessit. Respondet quod cum peccatum in uoluntate et in actu consistat, uoluntas actum precessit, set ipsam malam uoluntatem alia mala uoluntas hominis precessit, et quod illa mala uoluntas ex diaboli persuasione, et libero hominis arbitrio prodiit, et in hoc terminatur etc.

QVESTIO PRIMA

VTRVM PRIMVM PECCATVM PRIMI HOMINIS FVERIT SVPERBIA

[1] Circa distinctionem istam primo queritur utrum primum peccatum primi hominis fuerit superbia. Et uidetur quod non, quia
 5 primum uitium hominis opponitur prime uirtuti. Set prima uirtus est fides que est fundamentum spiritualis edificii, ergo primum peccatum fuit infidelitatis.

[2] Item Rom. dicitur quod per unius hominis inobedientiam peccatum intrauit in mundum, ergo primum peccatum hominis
 10 fuit inobedientia.

[3] In contrarium est quod dicitur Eccle. 10: *initium omnis peccati superbia*, set peccatum primorum parentum fuit peccandi initium generi humano, ergo etc.

4 Et ... 7 infidelitatis] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 22, 1, 1, arg. 2 (549)

5 Set ... 7 infidelitatis] cf. Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 22, 1, 1, arg. 2 (186a)

6 fides ... edificii] Thom., *Super Sent.*, III, 31, 2, 1, 1, arg. 1 (985, §86); *S.th.*, II-II, 8, 8, arg. 2

8 Item ... 10 inobedientia] cf. Thom., *S.th.*, II-II, 163, 1, arg. 1; *Super Sent.*, II, 22, 1, 1, arg. 3 (549); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 22, 1, 1, sed contra 2 (186b)

Rom ... inobedientiam] *Rom.*, 5,19

9 peccatum¹ ... mundum] *Rom.*, 5,12

11 In ... 13 etc] Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 22, 1, 1, sed contra 1 (186a); cf. etiam Thom., *S.th.*, II-II, 163, 1, sed contra; *Super Sent.*, II, 22, 1, 1, sed contra 1 (549); Aeg. Rom., *Ord.*, II, 22, 1, 1, sed contra (201a)

Eccle ... 12 superbia] *Eccle.*, 10,15

[4] Responso. Dicenda sunt duo. Primum est, quod in actu primorum parentum fuerunt realiter multa peccata. Primum tamen eorum fuit superbia. Primum patet, quia ubicunque sunt plures deformitates, quarum una non est per se determinatiua alterius, ibi sunt plura peccata; set ita fuit in actu primorum parentum, ergo et cetera. Maior patet, quia licet bonum sit ex tota causa, malum tamen est ex partialibus defectibus; et ideo quot sunt defectus uoluntarii, tot sunt peccata, nisi unus sit alterius per se determinatiuus, ut si aliquis cognoscit non suam in loco sacro, ibi sunt due deformitates et duo peccata, quia est ibi peccatum fornicationis et uiolatio sacri loci, ex eo quod illarum duarum deformitatum una non determinat alteram, unde una potest separari ab altera et econuerso. Minor similiter patet, quia in peccato primorum parentum fuit duplex deformitas, scilicet appetitus proprie excellentie, in hoc quod dicit serpens: *Eritis sicut Dii*, et inobedientia precepti discipline, et transgressio in esu fructus ligni uetiti, et harum una non est per se determinatiua alterius, ut de se patet, ergo etc.

[5] Secundum patet, quia appetitus finis precedit appetitum eorum que sunt propter finem; set appetitus proprie excellentie, qui pertinet ad superbiam, fuit finis propter quem incurrerunt inobedientiam in esu ligni, sicut haberi potest ex uerbo tentationis cui consenserunt: *Scit enim Deus quod quocunque die ex eo comederetis, eritis sicut Dii*, ergo etc. Et istud est satis uerisimile, ut sicut diabolus ceciderat per superbiam, sic tentaret principaliter hominem de superbia.

[6] Ad primum argumentum dicendum quod illud quod est in compositione primum est ultimum in resolutione. Et ideo deberet sic argui quod sicut fides est prima uirtus, sic infidelitas est ultimum uitium; neque tamen hoc ualeret, quia non est connexio uel ordo in uitiiis, sicut est in uirtutibus, ut alias dicitur, scilicet in III libro. Et si

19 licet ... 21 peccata] cf. Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 22, 1, 1, resp. (r86b)

bonum ... 20 defectibus] ps.-Dionys., *De diu. nom.*, 4 (298d-299a)

28 Eritis ... Dii] *Gen.*, 3,5

33 set ... 36 Dii] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 22, 1, 1, sol. (550)

36 Scit ... Dii] *Gen.*, 3,5

39 quod² ... 40 resolutione] Thom., *Super Sent.*, II, 22, 1, 1, ad 2 (550)

43 ut ... libro] cf. infra, III, 36, 3 et 4 (279rb-vb)

43 scilicet ... libro] distinctione 36 questione 3 et 4 *i.m. add. π*

45 esset ordo, non esset ordo temporis, de quo nunc loquimur, querendo quale fuerit primum peccatum hominis.

[7] Ad secundum dicendum quod inobedientia ut nominat speciale peccatum est contemptus precepti; et sic non inrauit peccatum in mundum per inobedientiam unius hominis. Alio modo nominat conditionem generalem consequentem omne peccatum
50 mortale, inquantum omne peccatum mortale habet annexam transgressionem precepti; et sic loquitur APOSTOLVS.

QVESTIO SECVNDA

VTRVM PRIMVS HOMO APPETIERIT ESSE VT DEVS

[1] Deinde queritur circa eandem distinctionem utrum primus homo appetierit esse ut Deus. Dicendum primo quod sic. Secundo
5 uidendum est in quo appetierit esse ut Deus.

[2] Primum patet, quia primi parentes illud appetierunt quod a tentatore fuit eis propositum, alias non peccassent ex alterius suggestionem, set illud fuit: *Eritis sicut Dii*, *Gen.* 3; ergo et cetera. Item hoc irrisi sunt ibidem. *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est*,
10 ergo in hoc peccauerunt.

[3] Circa secundum notandum quod esse ut Deus potest accipi dupliciter. Vno modo per equalitatem, alio modo per quamdam imitationem. Primum non cadit sub appetitu, nisi precedente nimio errore; cum nulla creatura possit appetere non esse, gradus autem
15 superior includat impossibilitatem gradus inferioris, nedum in Deo respectu creaturarum, set in creatura una respectu alterius, patet quod non solum est impossibile intellectui non erranti appetere equalitatem Dei, set etiam creature inferiori appetere equalitatem creature superioris, saltem in essentialibus, respectu autem Dei nulla
20 equalitas potest appeti nisi in essentialibus, cum omnia abstracta in

46 Ad ... 51 Apostolus] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 22, 1, 1, ad 3 (550); cf. etiam Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 22, 1, 1, ad 1 (187a)

8 Eritis ... 3] *Gen.*, 3,5

9 Ecce ... nobis] *Gen.*, 3,22

11 esse ... 13 imitationem] cf. Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 22, 1, 2, resp. (187b); cf. etiam Thom., *S.th.*, II-II, 163, 2, resp.

eo transeant in essentiam. Vnde AVGVSTINVS S u p e r G e n e s i m :
Non arbitror uirum si iam spirituali mente peditus erat uoluisse esse
sicut Deus. Alia est similitudo imitationis, que est duplex. Quedam
proportionata nature ipsius appetentis, et hanc appetere non est malum,
si appetatur eo modo et ordine quo appetenda est. Alia improportionata, 25
que excellit ordinem et modum nature appetentis, et hanc appetere
semper est malum, potuit ergo primus homo appetere esse ut Deus
per aliquam imitationem forte in scientia, ut fuerat a tentatore
propositum: Eritis sicut Dii scientes bonum et malum. Et peccauit uel
appetendo similitudinem sibi improportionatam uel proportionatam, 30
set absque debito modo et ordine.

QVESTIO TERTIA

VTRVM IGNORANTIA SIT PECCATVM

[1] Postea queritur utrum ignorantia sit peccatum. Et uidetur quod
 sic, quia *quando actus non est malus, uoluntas de illo non est mala; set*
uoluntas ignorandi ea que homo tenetur scire mala est; ergo et ipsa 5
 ignorantia est mala, set non pena, ergo est culpa.

[2] Item I C o r . 14: *Si quis ignorat, ignorabitur, id est reprobabitur*
secundum G l o s s a m . Set nullus reprobabitur nisi propter peccatum,
 π167va ergo etc. |

[3] In contrarium est quia *peccatum directius opponitur gratie quam* 10
scientie; set priuatio gratie non est culpa, set pena consequens
peccatum; ergo ignorantia que est priuatio scientie non est peccatum.

21 Vnde ... 23 Deus] Aug., *De Gen. ad litt.*, XI, 42 (378,21-23); ap. Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 22, 1, 2, arg. 2 (187a); cf. etiam Lomb., *Sent.*, II, 22, 3, n.4 (442,15-16); *Coll. in Paul. Epist.*, I *Ad Tim.*, 2,1 (341B); Thom., *Super Sent.*, II, 5, 1, 2, arg. 1 (145); *De malo*, 7, 7, arg. 12 (177,84-87)

23 Alia ... 27 malum] Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 22, 1, 2, resp. (187b)

29 Eritis ... malum] *Gen.*, 3,5

4 quando ... 5 est] Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 22, 2, 2, arg. 5 (189a)

7 Item ... 9 etc] Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 22, 2, 2, arg. 1 (189a); cf. etiam Thom., *Super Sent.*, II, 22, 2, 1, sed contra 1 (557); cf. etiam *S.th.*, I-II, 76, 2, sed contra; *De malo*, 3, 7, sed contra 1 (80,70-73); Rich. de Mediau., *Super Sent.*, II, 22, 1, 2, sed contra 2 (277b)

Si ... ignorabitur] I *Cor.*, 14,38

id ... 8 Glossam] *Glossa Ord. I Cor.* (332a): idest improbabitur
 10 peccatum ... 12 peccatum²] Thom., *S.th.*, I-II, 76, 2, arg. 2

[3] Responso. Ignorantia eorum que quis non tenetur scire uel non potest nullo modo est peccatum; de ignorantia uero eorum que
 15 aliquis tenetur scire et potest dicendum quod nunquam est peccatum secundum se, set ratione addiuncti, quod est negligentia addiscendi uel uoluntas non addiscendi. Quod patet dupliciter. Primo considerando peccatum secundum seipsum. In hoc enim differunt
 20 malum et peccatum quia priuatio cuiuscunque perfectionis debite est malum, set peccatum dicit solam priuationem secunde perfectionis, que est operatio uel debite rectitudinis in operatione, ut plenius patebit inferius; set ignorantia secundum se dicit priuationem scientie et non priuationem operis uel perfectionis in operatione, nisi incomitatiue, inquantum ignorantia concomitatur negligentiam
 25 addiscendi uel uoluntatem non addiscendi; ergo etc. Secundo patet idem comparando culpam ad meritum, quia circa idem sunt; set constat quod meritum per se consistit in actu et non in habitu, ergo et culpa seu peccatum. Ignorantia autem dicit priuationem habitus et non actus, nisi concomitatiue; ergo etc.

[4] Item et illa ratio est bona que communiter ponitur, quod si ignorantia esset peccatum, tamdiu peccaret homo, quamdiu ignoraret; consequens est falsum, ergo et antecedens. Neque ualet solutio que datur, scilicet quod ignorantia sicut et alia peccata omissionis solum est peccatum pro illo tempore pro quo preceptum
 35 affirmatiuum cui opponitur obligat, preceptum autem affirmatiuum non obligat ad semper, set pro loco et tempore quo occurrit materia precepti facienda, propter quod ignorans non semper actu peccat, set pro tempore quo quis per preceptum obligatur ad aliquid faciendum, quod per ignorantiam dimittitur.

[5] Set istud non ualet, quia licet *preceptum affirmatiuum non obliget ad semper*, ita ut semper actu impleatur uel actu de eo cogitetur, obligat tamen ad semper secundum habitum, ita scilicet ut

14 de ... 16 addiscendi] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 22, 2, 1, sol. (557); Aeg. Rom., *Ord.*, II, 22, 2, 2, resp. (214a); Alb., *Super Sent.*, II, 22, 1, 7, sol. (382b)

19 priuatio ... malum²] Thom., *S.c.g.*, I, 71 (67b); *De malo*, I, 2, resp. (11,195-197)

21 ut ... 22 inferius] cf. infra, II, 35, 1, §4

30 si ... 32 antecedens] Thom., *S.th.*, I-II, 76, 2, arg. 5; Aeg. Rom., *Ord.*, II, 22, 2, 2, arg. 5 (214aA)

33 ignorantia ... 39 dimittitur] Thom., *S.th.*, I-II, 76, 2, ad 5

35 preceptum ... 36 semper] cf. Alb., *Super Sent.*, II, 22, 1, 7, sol. (383a)

38 pro ... obligatur] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 22, 2, 1, ad 5 (558)

40 preceptum ... 41 semper¹] Thom., *Super Sent.*, II, 22, 2, 1, ad 5 (558)

homo semper sit ita dispositus, quod semper sit paratus implere preceptum quoties occurrit faciendum. Hec autem dispositio tollitur per ignorantiam eorum que quis tenetur scire. Et ideo si ignorantia 45 secundum se esset culpa, quandiu quis ignoraret, tandiu peccaret. Non sic autem si ponatur culpa, non quidem secundum se, set ratione adiuncti, scilicet negligentie addiscendi; tunc enim non semper est peccatum, set solum quando est tempus acquirendi scientiam quam habere tenetur. 50

[6] Ad primum argumentum dicendum quod non solum uoluntas est culpabilis qua uolumus malum culpe, set etiam qua uolumus aliquid quo proni sumus ad culpam; et cuius oppositum retraheret a culpa, et sic est cum quis uult ignorare ea que tenetur scire.

[7] Ad secundum dicendum quod illud intelligitur de ignorantia 55 non ratione addiuncti, scilicet negligentie addiscendi, et eodem modo exponde sunt similes auctoritates Canonis seu Sanctorum, si que tales inueniantur.

QUESTIO QVARTA

VTRVM IGNORANTIA EXCVSET PECCATVM

[1] Vtrum ignorantia excuset peccatum. Et uidetur quod non, quia *qui per ebrietatem homicidie committit peccat per ignorantiam*; set *talis* non excusatur, nec a toto nec a tanto, imo meretur *duplices* 5 increpationes secundum PHILOSOPHV M I I I E t h i c o r u m , ergo etc.

55 Ad ... 58 inueniantur] cf. Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 22, 2, 2, ad I (189b)

58 inueniantur] cf. Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 22, 2, 2, ad I (189b)

4 qui ... 7 etc] Thom., *De malo*, 3, 8, arg. 3 (82,15-19); *Super Sent.*, II, 22, 2, 2, arg. 2 (559); *S.th.*, I-II, 76, 4, arg. 4; Aeg. Rom., *Ord.*, II, 22, 2, 4, arg. 3 (219bC); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 22, 2, 3, arg. 3 (190a); Rich. de Mediau., *Super Sent.*, II, 22, 1, 3, arg. 2 (278a); Iac. Met., *Super Sent.*, II, 22 (T94va; Vb65va)

5 meretur ... 6 Ethicorum] Arist., *Eth. Nic.*, III, 5, 1113b31-32: transl. uetus

[2] Item super illud Ad Rom. 2: *Ignorans* quomodo *benignitas* etc., dicit Glossa AMBROSII: *Grauisime peccas quia ignoras*, set *quod aggrauat peccatum non excusat*, ergo etc.

[3] In contrarium est quod APOSTOLVS dicit I Tim.: *Misericordiam consecutus sum, quia ignoranter feci; set nihil prouocat ad misericordiam, nisi peccatum excuset uel alleuiet*; ergo etc.

15 [4] Responso. Ignorantia potest se habere ad actum dupliciter, causaliter uel concomitatiue. Causaliter quando si non ignoraret, non faceret. Concomitatiue uero quando quis ignorans facit et nihilominus faceret, si non ignoraret. Et est differentia inter hos duos modos, quia primus dicitur | agere ignorans et per
20 ignorantiam, unde et abscedente ignorantia est penitens. Secundus uero dicitur ignorans agere, set non per ignorantiam, nec ignorantia abscedente penitet. Et hoc patet clare ex III Ethicorum.

π167vb

[5] De ignorantia igitur concomitatiua, cum *per accidens se habeat*
25 *ad actum*, dicendum quod non excusat peccatum nec alleuiat, neque tamen aggrauat. Cuius ratio est quia omnis circumstantia excusans, alleuians uel aggrauans est conditio operis ipsum informans, et non est solum conditio operantis actum concomitans, sicut actus fidei informis est bonus, quia informitas fidei non est conditio fidem
30 informans, set concomitans ratione credentis qui caret gratia; unde ex infirmitate non sortitur actus fidei aliquam rationem mali. Et simile

8 Item ... 10 etc] Thom., *De malo*, 3, 8, arg. 1 (82,3-9); *S.th.*, I-II, 76, 4, arg. 3; *Super Sent.*, II, 22, 2, 2, arg. 1 (558-559); *Aeg. Rom.*, *Ord.*, II, 22, 2, 4, arg. 1 (219bB); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 22, 2, 3, arg. 1 (190a); Rich. de Mediau., *Super Sent.*, II, 22, 1, 3, arg. 1 (278a); Bonau., *Super Sent.*, II, 22, 2, 3, sed contra 2 (526a); Iac. Met., *Super Sent.*, II, 22 (T94va; Vb65va)

Ad ... benignitas] *Rom.*, 2,4

9 Grauisime ... ignoras] Lomb., *Coll. in Paul. Epist., Ad Rom.*, 2,4 (1338D); ap. Alb., *Super Sent.*, II, 22, 1, 9, arg. 3 (385a)

11 In ... 14 etc] Thom., *Super Sent.*, II, 22, 2, 2, sed contra 1 (559); cf. etiam *S.th.*, I-II, 76, 4, sed contra; *Aeg. Rom.*, *Ord.*, II, 22, 2, 4, sed contra 1 (219bD); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 22, 2, 3, sed contra 1 (190a); Iac. Met., *Super Sent.*, II, 22 (T94va; Vb65va)

12 Misericordiam ... feci] I *Tim.*, 1,13

15 Ignorantia ... 23 Ethicorum] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 22, 2, 2, sol. (560); cf. etiam Iac. Met., *Super Sent.*, II, 22 (T94va; Vb65vb)

22 Et ... Ethicorum] Arist., *Eth. Nic.*, III, 1, 1101b18-1101b2

24 per ... 25 actum] Thom., *Super Sent.*, II, 22, 2, 2, sol. (560)

25 dicendum ... 26 aggrauat] Infra distinctione 4 questione 2 numero 11 *i.m. add. π*

est de similibus circumstantiis quantum ad rationem boni uel mali, excusando, alleuiando uel aggrauando. Set ignorantia que solum concomitatiue se habet ad actum non est conditio operis ipsum informans, set est solum conditio operantis actum concomitans, ergo 35 etc.

[6] Ignorantia autem causalis aut est eorum que non tenemur aut non possumus scire, que dicitur inuincibilis, aut est eorum que possumus scire et tenemur, que dicitur uincibilis. Prima omnino excusat, si sit inuincibilis secundum se et secundum causam suam, 40 quod dico propter ebrium ex ebrietate peccantem, cuius ignorantia inuincibilis est secundum se, quia tunc non potest iudicare quid agendum sit uel non agendum, tamen non est inuincibilis secundum causam suam, quia pouit se non inebriare, et ita non ignorare, et ideo omnino non est excusatus. 45

[7] Ignorantia autem uincibilis aut est in uniuersali, et dicitur *ignorantia iuris*, aut in particulari, que uocatur *ignorantia facti*. Prima aut est directe affectata, ut homo liberius peccet, et hec non excusat set aggrauat, aut non est directe affectata, set prouenit ex quadam negligentia, et hec licet non excuset ex toto sequens peccatum, 50 alleuiat tamen. *Ignorantia* autem particularis seu *facti aut est adhibita debita diligentia* et dando operam rei licite, *et hec omnino excusat*, sicut fuit de Iacob cognoscendo Lyam quam credebat esset Rachelem in quam consenserat, *aut est non adhibita debita diligentia* uel dando operam rei illicite, *et hec omnino non excusat*, potest tamen plus uel 55 minus alleuiare si non fuerit directe affectata.

[8] Horum autem omnium talis est ratio. Sicut se habet ignorantia ad causandum uel non causandum uoluntarium ad augendum uel minuendum, sic se habet ad excusandum peccatum uel non excusandum, ad aggrauandum uel alleuiandum; cuius ratio est quia 60 eo ipso aliquid imputatur ad meritum uel ad culpam, quia est uoluntarium, et quantum est uoluntarium tantum imputandum. Set

37 Ignorantia ... 39 uincibilis] cf. Guill. Petr. de God., *Lect. Thom.*, II, 22, 1 (G43vb)

39 Prima ... 45 excusatus] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 22, 2, 2, sol. (560-561); Aeg. Rom., *Ord.*, II, 22, 2, 4, resp. (220aD-bA); Bonau., *Super Sent.*, II, 22, 2, 3, ad 5 (527b)

46 Ignorantia ... 56 affectata] cf. Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 22, 2, 3, ad 2 quaest. (190b-191a); Henr. de Gand., *Quodl.*, XII, 25, sol. (133,41-134,60); Guill. de la Mare, *Super Sent.*, II, 22, 4, resp. (285,48-52); cf. etiam Thom., *Super Sent.*, II, 22, 2, 2, sol. (560); Aeg. Rom., *Ord.*, II, 22, 2, 4 resp. (220bC-221aA); ignorantia iuris et facti: etiam ap. Bonau., *Super Sent.*, II, 22, 2, 1, sed contra 2 (522a); Guill. Petr. de God., *Lect. Thom.*, II, 22, 1 (G43vb-44ra)

ignorantia se habet ad causandum uoluntarium uel inuoluntarium ad
agendum ipsum uel diminuendum modo quo dictum est, ut patet
65 deducendo per membra supra dicte diuisionis, ergo etc. Quod autem
dictum est, quod ignorantia causalis quandoque excusat, alleuiat uel
aggrauat, intelligendum est quando ignoratur illud quod in actu
ponit rationem peccati, non autem de ignorantia aliorum.

[9] Argumenta procedunt suis uiis. Quod enim primo dicitur,
70 quod ebrius meretur duplices increpationes, dicendum quod uerum
est, quia duo peccata committit, scilicet ebrietatem et homicidium,
nihil tamen prohibet quod occidendo minus peccet quam si non
fuisset ebrius in quantum est in illo peccato minus de uoluntario, non
tamen totaliter excusatur, quia ignorantia eius non tollit totaliter
75 uoluntarium quia ipsa uoluntaria fuit.

[10] Ad secundum dicendum quod AMBROSIUS *loquitur de
grauitate periculi non peccati*, quia qui nescit morbum non querit
remedium, nihil tamen prohibet sequens peccatum esse minus
ratione precedentis ignorantie, licet sit periculosius ignorantia
80 durante.

SENTENTIA HVIVS DISTINCTIONIS XXIII IN GENERALI ET SPECIALI

[1] *Preterea queri solet*. Superius determinauit MAGISTER de peccato
primi hominis quantum ad tentationem et quantum ad radicem. Hic
determinat de peccato isto quantum ad Deum permittentem. Et
5 diuiditur in duas. Primo determinat quare hominem Deus tentari
permisit. Secundo ut magis appareat iustitia permittentis dicit
qualiter | Deus primum hominem dotauit. Secunda ibi: *Qui* ^{*π168m*}
secundum animam. Prima diuiditur in quinque secundum quinque
questiones quas mouet. Secunda ibi: *Mouentur etiam quidam*. Tertia
10 ibi: *Addunt etiam*. Quarta ibi: *Item inquirunt posset Deus*. Quinta ibi:
Item inquirunt. Secunda pars principalis diuiditur in duas. Primo

65 Quod ... 68 aliorum] cf. Thom., *De malo*, 3, 8, ad 3 (84,160-163)

76 Ad ... 78 remedium] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 22, 2, 2, ad 1 (561); cf. etiam Alb.,
Super Sent., II, 22, 1, 9, ad 4 (385b)

Ambrosius ... 77 peccati] Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 22, 2, 3, ad 1 (190b)

2 Preterea ... solet] Lomb., *Sent.*, II, 23, 1 (447,15)

determinat intentum. Secundo mouet incidentem questionem. Secunda ibi: *Si queritur*. Et hec est sententia et diuisio lectionis in generali.

[2] In speciali sic procedit et querit primo quare Deus hominem 15
tentari permisit quem decipi presciebat. Et respondet quod ad
saluandam conditionem nature in qua laudabilius est non consentire
tentationi quam tentari non posse. Postea querit quare Deus creauit
quos malos presciebat futuros. Respondet quod propter bonum quod
uolebat elicere. Postea querit quare non fecit hominem impeccabilem. 20
Et respondet quod melius fuit utranque naturam condere, unam
scilicet que peccare non posset, qualis est natura angeli per gratiam
confirmantem, et eam que peccare et non peccare posset, si uellet,
qualis in homine fuit, ut ex utraque uberius laudaretur. Postea querit
quare Deus qui poterat eos uoluntate sua saluare non saluauit. Et 25
respondet quod maluit eos nature sue relinquere, ut non infructuose
boni essent, nec impune mali. Postea querit cum Deus sit
omnipotens, quare uoluntatem eorum non conuertit ad bonum. Et
respondet quod uoluntatis eius causa querenda non est. Postea dicit
quod homo creatus statim accepit diuinitus scientiam que ad suam 30
conditionem pertinebat. Fuit autem triplici cognitione rerum
preditus, scilicet rerum propter se creatarum et creatoris et sui ipsius;
habuit enim cognitionem creaturarum, qui curam earum erat
habiturus. Aliter enim eis nomina non imposuisset, et hanc
cognitionem per peccatum non perdidit, habuit etiam cognitionem 35
de creatore, non tamen per enigma, set per quandam interiorem
inspirationem, non tamen ita claram sicut in patria habent sancti,
habuit etiam cognitionem sui; sciuit enim quid deberet superiori suo,
scilicet Deo, quid equali, scilicet homini, quid inferiori, scilicet aliis
creaturis. Ultimo inquirendo dicit quod futurum euentum circa 40
suum statum non cognouit, sicut nec angelus suum casum presciuit,
ut dictum est, et in hoc terminatur, etc.

QVESTIO PRIMA

VTRVM ALICVI CREATVRE POSSIT CONFERRI QVOD SIT IMPECCABILIS
PER NATVRAM

[1] Circa distinctionem istam queritur utrum alicui creature possit
5 conferri quod sit impeccabilis per naturam. Et uidetur quod sic, quia
impossibile est illum actum esse defectuosum, cuius principium est
immutabiliter unitum sue regule; set alicui creature potest conferri
quod per naturam suam sic sit immutabiliter unita deo per uisionem
claram, sicut uniuntur nunc beati per gratiam; ergo sicut beati sunt
10 impeccabiles per gratiam et ex immutabili unione sue uoluntatis ad
Deum tanquam ad regulam, sic illa creatura esset impeccabilis per
naturam suam. Maior patet, quia non est defectus in actione, nisi
quia actio discordat e rectitudine sue regule. Minor probatur
multipliciter. Primo, quia illud potest communicari creature, quod
15 non trahit ipsam extra limites creature; set uidere Deum per
essentiam ex naturalibus non trahit creaturam extra limites creature,
quia nihil trahit creaturam extra limites suos, nisi sit perfectionis
infinite; hoc enim solum facit creaturam non esse creaturam, set
creatorem; uidere autem Deum per essentiam et ex naturalibus non
20 est perfectionis infinite; demus enim quod aliquis uideat Deum per
naturam sicut uident nunc beati per gloriam, nec hic nec ibi est
perfectio infinita, set finita, et actus finitus, ideo etc.

[2] Item lumen glorie non excedit in infinitum lumen nature, cum
utrunque sit aliquid creatum; poterit ergo creari angelus, cuius lumen
25 naturale equabitur in essentia et uirtute lumini glorie alterius, et sic
ex naturalibus uidebit Deum per essentiam, sicut nunc uident beati
per gloriam, et eodem modo erit impeccabilis.

[3] Item sicut se habet uisus corporalis ad omnia uisibilia sic se
habet intellectus ad omnia intelligibilia. Set Deus | posset facere *π168rb*
30 uisum corporalem tante efficacie quod uideret omnia uisibilia absque
exteriori lumine superaddito, ergo similiter posset facere intellectum
tante efficacie quod uideret uel intelligeret omne intelligibile absque
lumine glorie superaddito; et sic idem quod prius.

28 Item ... 33 prius] cf. infra, IV, 49, 2 (207-327)

9 sicut beati] *iter: π*

[4] In contrarium arguitur quia impossibile est eidem secundum idem inesse opposita, secundum aliud uero nihil prohibet; set liberum arbitrium creature secundum naturam inest posse adherere sue regule uel non adherere, quod est posse peccare uel non posse peccare; ergo per naturam non potest ei inesse non posse peccare.

[5] Item ad illud quod est supernaturale nihil potest attingere per naturam; set uisio Dei per essentiam, ex qua creatura fit impeccabilis, est finis creature supernaturalis; ergo ad hanc non potest aliqua creatura attingere per naturam, ergo etc.

[6] Item quando *aliquod accidens* inest inferiori nature, tamen *ex influentia superiorum non potest inferior natura illud accidens per naturam habere, nisi efficeretur nature superioris, sicut si aer non illuminaretur nisi per ignem, non posset aer de sua natura esse lucidus, nisi actu fieret ignis; set confirmatio in bono inest creature rationali per gratiam, que est quoddam spirituale lumen et similitudo increati luminis*; ergo impossibile est quod hoc habeat creatura per naturam, nisi efficeretur diuine nature, quod est impossibile, ergo etc.

[7] Responsio. Questio ista uel intelligitur absolute de creatura, an possit fieri per naturam impeccabilis, uel stricte de creatura rationali intellectuali, que est liberum arbitrium. Si primo modo, certum est quod Deus potest facere et multas fecit creaturas impeccabiles per naturam, scilicet omnes creaturas irracionales, quia liberum arbitrium est *quo peccatur et recte uiuitur*, sicut nunc loquimur de peccato. Set creature irracionales carent libero arbitrio, ergo peccare non possunt sicut nec recte uiuere rectitudine meriti. Si secundo modo, sic esset uidendum per quid competit creature posse peccare et utrum illud necessario insit omni creature uel utrum oppositum possit ei inesse per naturam. Primum autem istorum declaratum fuit prius, ubi ostensum fuit quod impossibile est peccatum esse in uoluntate, nisi precedente aliquo defectu in ratione, siue ille defectus sit error uel

34 impossibile ... 38 peccare²] Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 23, 1, 1, resp. (194a); cf. etiam Rich. de Mediau., *Super Sent.*, II, 23, 1, 1, sed contra 1 (282a)

43 Item ... 50 etc] Thom., *Super Sent.*, II, 23, 1, 1, ad 5 (568-569); cf. etiam *De uerit.*, 24, 7, sed contra 2 (697,92-101)

53 Si ... 58 meriti] cf. Duns Scot., *Report.*, II, 23, q. unic., ad 1 (109a)

55 liberum ... 56 uiuitur] Lomb., *Sent.*, II, 26, 3, n.2 (473,12-13); II, 28, 2, n.2 (489,11); ex Aug., *Retract.*, I, 9, 4 (26,95)

53 est¹] *iter. π* 59 utrum ... 61 naturam] distinctione 5 questione 1 et 2. Et distinctione 7 questione 1 *i.m. add. π*

nescientia uel inconsideratio. Ac per hoc patet quod si potest
 65 communicari creature, quod ex naturalibus semper actu et sine errore
 consideret omnes circumstantias ex quibus aliquid potest iudicari
 eligibile uel fugibile, uel etiam si hoc actu consideret, quando aliquid
 occurrit eligendum uel fugiendum, quod talis creatura esset
 impeccabilis per naturam, si uero non, non.

70 [8] Dicendum ergo quod eligibilia et circumstantie eligibilium aut
 deducuntur solum ex principiis legis nature aut deducuntur ex
 principiis et dictamine legis supernaturalis, puta fidei uel discipline; si
 primo modo, sic dicendum est quod Deus potuit facere, et forte fecit,
 creaturam impeccabilem per naturam. Cuius ratio est duplex. Prima,
 75 quia maioris ambitus sunt ea que deducuntur ex primis principiis
 practicis, quia plura sunt cognoscibilia a creatura quam agibilia per
 ipsam. Set Deus potest facere, et forte iam fecit, creaturam que actu
 cognoscit omnia speculabilia naturalia et omnes habitudines eorum
 naturales, uel saltem dum cognoscit actu aliquod ens naturale actu,
 80 uidet in eo omnes habitudines naturales et circumstantias; hoc enim
 ponitur de angelis, quod non per discursum, set intuitiue uident in
 natura rei quecunque ei attribuuntur naturaliter uel ab ea
 remouentur; ergo similiter potest communicari alicui creature uel
 iam communicatum est quod actu et sine errore consideret omnia
 85 agibilia ab ipsa, uel saltem dum occurrit aliquid eligendum actu et
 sine defectu uidet omnes circumstantias secundum quas illud est
 eligibile uel non eligibile, quo inexistente peccare non potest, ut
 deductum est in primo articulo, ergo etc.

[9] Secunda ratio talis est: sicut est gradus in corporalibus, sic in
 90 spiritualibus; set est aliquod corpus quod ex gradu sue nature habet
 non solum quod sit in se perfectum, set etiam in operatione actuali,
 quoad omnia illa que sunt et que esse possunt, sic quod statim ut
 essent actioni ipsius subiicerentur, ut patet de sole uel saltem de
 corpore celesti, ergo similiter in creaturis spiritualibus est dare aliqua
 95 que | non solum sunt perfecta in se, set etiam in propria operatione *π168va*
 respectu omnium aliorum que sunt uel esse possunt, sic quod statim
 ut essent actioni eius subiicerentur, operatio autem propria substantie

80 hoc ... 83 remouentur] cf. supra, II, 5, 2, §14

80 hoc ... 81 discursum] supra distinctione 3 questione 8 et distinctione 5 questionibus 1
 et 2 *i.m. add. π*

spiritualis est intelligere; ergo etc. His autem stantibus non potest peccare, quare possibile est creaturam dare que per naturam sit impeccabilis, quoad legem naturalem. 100

[10] Si autem aliquid iudicetur eligibile per deductionem factam ex altioribus principiis, puta fidei uel discipline, sic dico quod respectu talium non potest creatura esse impeccabilis per naturam, supposito quod legem hanc acceperit, alioquin contra eam peccare non posset, quia lex nullum ligat antequam data sit. Et hoc patet statim ex ipsa 105 ratione terminorum, quia cognitio talium principiorum aut deductio ex ipsis non potest haberi per naturam. Item patet connectendo priorem rationem sic: ubicunque potest esse error uel inconsideratio debitarum circumstantiarum rei eligibilis, ibi potest esse defectus et peccatum debite electionis; set in omni creatura potest esse error uel 110 inconsideratio debitarum circumstantiarum rei eligibilis, circumstantiarum dico, que sumuntur ex lege supernaturali fidei uel discipline; has enim nulla creatura potest nosse secundum se, cum dependeant ex mera Dei uoluntate, set noscuntur ex diuina reuelatione, et semel reuelate non semper considerantur quoties illud 115 eligendum occurrit, saltem hoc non habet conditio creature, imo contrarium. Nam sicut intellectus noster propter sui imperfectionem discursiuus est respectu intelligibilium naturalium, nec simul omnes condiciones eorum apprehendit, sic intellectus angelicus imperfectus respectu supernaturalium intelligibilium, nec simul omnes 120 condiciones eorum apprehendit; ideo etc. Patet ergo quod nulla creatura intellectualis potest esse impeccabilis per naturam quoad eligibilia que deducuntur ex principiis legis supernaturalis fidei uel discipline, licet possit esse impeccabilis quoad solum dictamen rationis naturalis, nisi hec deducerentur ex altiore principio, ut 125 dictum est. Et hoc concordat cuidam opinioni supraposite de peccato angeli scilicet quod peccauit transgrediendo preceptum discipline, sicut et homo.

[11] Ad argumenta in oppositum dicendum quod immediata regula rectitudinis uoluntatis est rectitudo rationis que dicta est, scilicet 130 quod homo circa agibile ab ipso consideret actu omnes circumstantias secundum quas est eligibile. Illud autem etsi sit possibile quoad

126 Et ... 128 homo] cf. supra, II, 5, 1, §§9-12

125 ut ... 126 est] distinctione 3 questione 1 *i.m. add. π*

circumstantias que deducuntur ex principiis iuris naturalis, non tamen
 est possibile creature ex naturalibus considerare omnes circumstantias
 135 que deducuntur ex principiis legis supernaturalis, etiam dato quod ex
 naturalibus posset uidere Deum per essentiam, quia, ut alias
 deducetur, uidentes Deum per essentiam, non propter hoc uident ea
 que ad eos pertinent, nisi eis reuerentur, quod est gratie. Prima ergo
 argumenta que probant quod si Deus posset uideri per essentiam
 140 habitu glorie eleuante intellectum ad hoc quod essentiam posset
 creature communicari quod ad hoc attingeret per naturam, non
 probant ex hoc creaturam impeccabilem, quia nec in beatis uisio
 diuina secundum se et absolute sufficit ad impeccabilitatem, ut
 dictum fuit, set ratione reuelationis gratie qua unicuique reuelantur
 145 omnia que ad ipsum pertinent. Vtrum autem ad uidendum Deum
 per essentiam requiratur aliquis habitus uel ad aliquod lumen
 supernaturale uel Deus possit facere quod creatura intellectualis
 ipsum uideat ex puris naturalibus, alias diffusius inquiretur.

[12] Ad argumenta alterius partis dicendum ad primum quod non
 150 est de natura liberi arbitrii adherere sue regule uel non adherere,
 peccare uel non peccare, set hec est conditio liberi arbitrii imperfecti,
 cuius arbitrium potest esse defectuosum, et ideo electio praua, ut
 ostensum est; potest autem esse creatura cuius arbitrium seu
 iudicium potest esse perfectum respectu eorum que deducuntur ex
 155 lege naturali, et per consequens eius electio non potest esse praua.

[13] Ad aliud dicendum quod creatura potest esse impeccabilis
 absque uisione Dei per essentiam, dummodo actu consideret omnes
 circumstantias omnium eligibilium ab ipsa quod potest esse respectu
 eorum que deducuntur ex principiis legis nature, ut dictum est.

160 [14] Ad aliud patet per idem, quia dato quod creatura non | possit *π168vb*
 uidere Deum per essentiam ex puris naturalibus, tamen ex alio potest
 esse impeccabilis, ut dictum est, et tamen nec ratio sufficienter probat
 hoc ipsum; cum enim dicitur quod quando aliquod accidens inest
 inferiori nature per superiorem etc., dicendum quod est uerum si
 165 illud accidens esset unius rationis utrobique, ut patet in exemplo
 eorum; si autem illud accidens non sit unius rationis in eis, non

136 ut ... deducetur] cf. infra, IV, 49, 2

136 ut ... deducetur] Et supra distinctione questione 1 huius *i.m. add. π* 148 diffusius]
coni.: diffusus *π* 149 non ... 151 peccare²] IV distinctione 49 *i.m. add. π*

oportet quod si efficiatur connaturale inferiori nature, quod propter hoc ipsa efficiatur in gradu superioris nature, imo oppositum, quia cum effectus equiuocus nunquam equetur sue cause equiuoce, si gratia et gloria, que sunt effectus dei equiuoci, millesies fierent 170 connaturales creature, non propter hoc ipsa equaretur creatori. Et iterum non ponitur quod gratia uel gloria possint fieri connaturales alicui creature, set quod potest talis creatura fieri a Deo, que tantum possit per suum lumen naturale, quantum potest nunc beatus per lumen glorie, sicut Deus posset creare oculum ita luminosum in se, 175 quod uideret sine exteriori lumine quicquid nos uidemus cum adiutorio luminis. Hoc autem dictum ex superabundanti et disputatiue, quia alias dicitur per quid eleuatur creatura ad uidendum Deum.

QUESTIO SECVNDA

VTRVM PRIMVS HOMO VIDERIT DEVM PER ESSENTIAM

[1] Deinde queritur utrum primus homo uiderit Deum per essentiam. Et uidetur quod sic, quia secundum AVGVSTINVM XIV De ciuitate Dei primo homini *non* deerat *quicquam quod bona uoluntas adipisceretur; set nihil melius bona uoluntas adipisci potest uisione diuine essentie*; ergo hoc in statu innocentie non deerat. 5

[2] Item uita beata consistit in uisione Dei per essentiam; set secundum DAMASCENVM libro II homo in paradiso beatam et omnium diuitem uitam habuit; ergo etc. 10

4 secundum ... 7 deerat] Thom., *S.th.*, I, 94, 1, arg. 2; *De uerit.*, 18, 1, arg. 16 (531,139-145); Alex. Hal., *S.th.*, I-II, n.517, arg. 7 (763b)

Augustinum ... 6 adipisceretur] Aug., *De ciu. Dei*, XIV, 10 (430,10-11)

8 Item ... 10 etc] cf. Thom., *S.th.*, I, 94, 1, arg. 1; *De uerit.*, 18, 1, arg. 11 (530,105-109)

9 Damascenum ... 10 habuit] Ioh. Dam., *De fide orth.*, II, 11 (106,7)

178 alias ... 179 Deum] In IV distinctione 39. questione 2 *i.m. add. π*

[3] In contrarium est quod dicitur I o a n . 1: *Deum nemo uidit unquam.*

[4] Et arguitur ratione quia uidere Deum per essentiam est status comprehensoris et non uiatoris; set Adam in toto statu innocentie
15 fuit uiator, et non comprehensor; ergo etc.

[5] Responso. Cum loquimur de cognitione Dei quam habuit Adam uel habuissent alii in statu innocentie, aut loquimur de cognitione quam habuissent secundum communem statum uel quam habuissent secundum speciale priuilegium. Si loquamur de
20 cognitione quam potuerunt habere ex speciali priuilegio, sic nulli dubium est quin Deus potuerit Ade uel alii cui uoluit manifestare se per essentiam et manifestauit, ut QUIDAM credunt, non solum Ade in raptu quando *immisit soporem in Adam*, ut dicitur G e n . 2 , set etiam Moysi sub lege et Paulo in tempore gratie, ut inuenitur in I I
25 A d C o r . 1 2 . Et de hoc, cum sit de facto, quod dependet ex mera uoluntate diuina, non potest haberi alia certitudo.

[6] Si uero loquamur de cognitione que competebat ei secundum communem statum, sic dicunt QUIDAM quod sicut status innocentie fuit medius inter statum glorie et statum culpe, sic homo in isto statu
30 habuit cognitionem de Deo medio modo, in statu autem glorie uidetur Deus per essentiam, in statu culpe uidetur a nobis *per speculum et in enigmate* ex contuitu creaturarum, set in statu innocentie uidebatur per speciem influxam. Et hoc quidem est nature in angelis, fuit autem gratie communis statui innocentie, ut omnes
35 homines in illo statu ad illum modum cognoscendi Deum attingerent per gratiam, qui competit angelis per naturam. Et huius

11 In ... unquam] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 23, 2, 1, sed contra 1 (572); Rich. de Mediau., *Super Sent.*, II, 23, 2, 1, sed contra 1 (285b); Alex. Hal., *S.th.*, I-II, n.517, sed contra b (764a); Bonau., *Super Sent.*, II, 23, 2, 3, sed contra 2 (543a); Jac. Met., *Super Sent.*, II, 23 (T95rb; Vb66rb)

Ioan ... unquam] *Ioh.*, 1,18

13 Et ... 15 etc] Thom., *Super Sent.*, II, 23, 2, 1, sed contra 1 (572); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 23, 2, 1, sed contra 3 (196a); Bonau., *Super Sent.*, II, 23, 2, 3, sed contra 6 (543b)

22 quidam] ap. Thom., *S.th.*, I, 94, 1, resp.; *De uerit.*, 18, 1, arg. 14 (531,124-132); Rich. de Mediau., *Super Sent.*, II, 23, 2, 1, resp. (285b)

23 immisit ... 2] *Gen.*, 2,21

24 ut ... 25 12] II *Cor.*, 12,1 sqq.

28 quidam] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 23, 2, 1, sol. (572-573); cf. etiam Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 23, 2, 1, resp. (196a); Guill. Petr. de God., *Lect. Thom.*, II, 23, 1 (G44rb); Bonau., *Super Sent.*, II, 23, 2, 3, resp. (544b); Alex. Hal., *S.th.*, I-II, n.517, resp. (765b)

31 per² ... 32 enigmate] I *Cor.*, 13,12

36 Et ... 45 gratie] Thom., *Super Sent.*, II, 23, 2, 1, sol. (573)

triplicis uisionis intellectualis ponitur exemplum in uisione corporali; lux enim corporalis uidetur immediate per suam essentiam, et sic beati intellectualiter uident Deum. Homo uero uidit alium in speculo per imaginem illius in speculo resultantem, et sic in statu culpe 40 uidemus Deum per effectus eius relucens in creaturis tanquam in speculo; *lapis autem uidetur ab oculo per suam similitudinem in oculo relictam*, et hoc modo uidetur Deus ab angelis per speciem eis influxam a sua creatione, et uidebatur ab homine in statu innocentie, nisi quod hoc non tam fuit nature quam gratie. 45

[7] Set istud deficit in duobus. Primum est quia nulla cognitio sensitua aut intellectiua nostra uel angelica fit per | speciem, prout isti ponunt, sicut probatum fuit supra distinctione 3. Secundum est quod si aliqua cognitio fieret per speciem et homo in statu innocentie cognouisset Deum per solam speciem, illa cognitio fuisset beata, quia 50 beata uisio est ex hoc quod Deus clare uidetur et non enigmatica; set uisio per speciem a re immediate acceptam est clara et non enigmatica, set est facie ad faciem; sic enim uidet unus alterum; ergo etc.

[8] Dicendum ergo quod Adam in statu innocentie, cum esset 55 uiator sicut nos, uidit Deum in eodem genere uisionis quo nos, scilicet ex creaturis sumens cognitionem, set tanto perfectius quam nos, quanto perfectiorem cognitionem habuit de creaturis quam nos. Si autem Deus uoluit ipsi imprimere quandam mediam cognitionem inter cognitionem beatam et enigmaticam, quam nunc habemus de 60 Deo per creaturas, non quidem imprimendo speciem, set solam cognitionem, hoc latet omnem hominem, quantum est de facto.

[9] De possibilitate uero uidetur dicendum quod si illa cognitio non esset beata nec intuitiua, set abstractiua, si intelligeretur sic esse abstractiua quod per eam cognosceretur Deus esse trinus et unus, 65 prout QUIDAM posuerunt, ut recitatum fuit super proemium primi libri, non uidetur nobis quod sit possibilis propter rationes ibidem positas; si autem ponatur esse quedam alia abstractiua altior omni cognitione que potest haberi de Deo per creaturas, dicatur quomodo illa sit possibilis, quia nobis non apparet quod aliqua sit altior nisi illa 70 cognitio que est per fidem, que extendit se etiam in nobis ad aliqua ad que ratio naturalis sumpta ex creaturis non se extendit.

[10] Ad primum argumentum dicendum quod *bona uoluntas est ordinata uoluntas; non fuisset autem ordinata uoluntas si in statu meriti uoluisset habere uisionem Dei per essentiam, que omnibus promittitur pro premio.*

[11] Ad secundum dicendum quod *homo* in statu innocentie habebat beatam uitam, non secundum illam beatitudinem *in quam transferendus erat, que in uisione Dei consistit, set secundum quendam modum inquantum habebat integritatem et perfectionem* nature absque miseria, et repugnantia corporis ad animam, et uirium inferiorum ad superiores.

QVESTIO TERTIA

VTRVM HOMO IN STATV INNOCENTIE POTVIT DECIPI

[1] Postea queritur utrum homo in statu innocentie potuit decipi. Et uidetur quod sic, quia quilibet potest decipi circa ea que ignorat; set homo in statu innocentie multa ignorasset, scilicet cogitationes aliorum et futura contingentia; ergo circa talia decipi potuit.

[2] Item APOSTOLVS dicit. I Ad Tim. 2: *Mulier seducta in preuaricatione fuit*, et ipsa confitetur hoc, Gen. 3: *Serpens decepit me*, ergo similiter alii decipi potuerunt.

[3] In contrarium est quod dicit AVGVSTINVS: *Approbare uera pro falsis non est natura hominis instituti, set pena damnati.*

73 Ad ... 76 premio] Thom., *S.th.*, I, 94, 1, ad 2; Iac. Met., *Super Sent.*, II, 23 (T95va; Vb66rb)

77 homo ... 80 perfectionem] Thom., *S.th.*, I, 94, 1, ad 1; ex Aug., *De Gen. ad litt.*, XI, 18 (350,24-27)

4 quilibet ... 6 potuit] cf. Guill. Petr. de God., *Lect. Thom.*, II, 23, 1 (G44ra)

7 Item ... 8 fuit] cf. Thom., *S.th.*, I, 94, 4, arg. 1; *Super Sent.*, II, 23, 2, 3, arg. 1 (578)

Item ... 8 hoc] cf. Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 23, 2, 3, arg. 1 (197a)

Apostolus ... 8 fuit] I *Tim.*, 2,14

8 Gen ... me] *Gen.*, 3,13

Gen ... 9 potuerunt] cf. Bonau., *Super Sent.*, II, 23, 2, 2, arg. 1 (539a)

10 In ... 11 damnati] Thom., *S.th.*, I, 94, 4, sed contra; *De uerit.*, 18, 6, sed contra 1(551,105-107); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 23, 2, 3, sed contra 1 (197a); Guill. Petr. de God., *Lect. Thom.*, II, 23, 1 (G44ra); Bonau., *Super Sent.*, II, 23, 2, 2, sed contra 1 (539b)

Augustinus ... 11 damnati] Aug., *De lib. arb.*, III, 18, n.52 (306,52-55)

[4] Responsio. Videnda sunt duo. Primum est quam scientiam in statu innocentie homo habuisset. Secundum erit utrum decipi potuisset.

[5] Quantum ad primum secus loquendum est de primis 15 parentibus et secus de genitis ab eis; de primis autem parentibus tenendum est quod mox formati perfecti fuerunt secundum corpus, quantum ad quantitatem et uirtutem corporalem, et secundum animam, quantum ad scientiam speculatiuam et moralem, nec non quantum ad notitiam fidei, ut sufficiebat ad debitum regimen uite 20 sue et filiorum suorum. Cuius ratio est quia semper imperfectum sumit originem a perfecto, et per ens actu reducitur aliquid de potentia ad actum; set res sic institute sunt ut essent aliorum principia et non solum ut subsisterent in se; ergo institute sunt in statu perfecto, quantum congruebat eis ut essent aliorum principia. 25 Sunt autem primi parentes instituti principium aliorum, non solum quoad generationem carnalem, set etiam quoad disciplinam et eruditionem in speculabilibus, in moralibus, et his que sunt fidei, cum non essent alii a quibus possent instrui; ergo fuerunt perfecti secundum corpus et secundum animam in omnibus que dicta sunt. 30 Cuius signum est quia animalibus nomina imposuit, Gen. 2.

π169rb Nomi- | -na autem non imponuntur nisi rebus notis.

[6] De genitis autem ab eis aliud fuisset, quia non statim fuissent perfecti, neque secundum corpus neque secundum animam, set utranque perfectionem acquisiissent processu temporis, sicut et nos, 35 licet facilius omni impedimento cessante, sicut tactum fuit supra distinctione 20 questione 4.

[7] Nunc restat uidere de secundo, scilicet utrum potuerint decipi. Et dicendum quod licet potuerint aliqua nescire, non potuerunt tamen errare uel decipi. Et quia de his que sunt anime 40 proportionabiliter loquendum est ad ea que sunt corporis, cum secundum utrunque in statu innocentie homo fuisset perfectus quantum exiebat tempus in status; set in statu illo, licet in corpore fuisset *cauentia alicuius perfectionis* absolute, *puta claritatis, non tamen aliquod malum inesse poterat*; ergo similiter ex parte anime, licet 45

21 semper ... 29 instrui] cf. Guill. Petr. de God., *Lect. Thom.*, II, 23, 1 (G44rb)

31 quia ... 2] *Gen.*, 2,2

36 sicut ... 37 4] cf. supra, II, 20, 4 (165ra)

43 licet ... 49 intellectus] *Thom.*, *S.th.*, I, 94, 4, resp.

potuisset esse carentia alicuius scientie; non enim sciuit omnia, quia nec fuit perfectior angelis, in quibus tamen DIONYSIVS ponit nescientiam. Non fuit tamen in eo aliquod malum, estimatio autem falsi semper est malum intellectus, ideo etc.

50 [8] Set aduertendum est quod sicut in quibusdam preseruabatur homo in statu illo a malo corporis, puta a corruptione uel lesione, partim a principio intrinseco, scilicet a ui nature uel munere originalis iustitie, partim ab extrinseco, scilicet a prouidentia diuina ei assistente ne quis extrinsecus gladio uel alio modo mortem uel
55 lesionem inferret, sic ex parte anime a deceptione preseruabatur respectu quorundam a principio intrinseco, scilicet respectu eorum quorum scientiam habuisset per scientiam suam, respectu uero aliorum quorum scientiam non habuisset preseruatus fuisset ex diuina prouidentia sibi assistente ne falsis assensum preberet.

60 [9] Et per hoc patet responsio ad primum argumentum.

[10] Ad secundum dicendum quod *seductio mulieris secuta est peccatum interne eleuationis*, quia peccauit non prius seducta, set ex inconsideratione alicuius circumstantie que fuerat consideranda. Vnde AVGVSTINVS XI Super Genesim dicit quod *mulier* uerbis
65 serpentis non crederet, scilicet a bono et utili diuinitus se fuisse prohibitos, *nisi iam inesset menti eius amor proprie potestatis*, et *quedam de se superba presumptio*.

SENTENTIA HVIVS DISTINCTIONIS XXIV IN GENERALI ET SPECIALI

[1] *Nunc diligenter inuestigari oportet*. Superius determinauit MAGISTER de peccato primi hominis, hic uero determinat de auxilio eius quod habuit contra peccatum. Et diuiditur in tres, quia enim
5 hoc adiutorium fuit libero arbitrio. Primo determinat de libero arbitrio per comparisonem ad alias anime potentias. Secundo determinat de eo quantum ad propriam sui rationem, que est ratio

47 Dionysius] ps.-Dionys., *De cael. hier.*, 7 (847a; 859a)

61 Ad... 67 presumptio] Thom., *S.th.*, I, 94, 4, ad I; cf. etiam *Super Sent.*, II, 23, 2, 3, ad I (579); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 23, 2, 3, ad I (197b)

64 Augustinus ... 67 presumptio] Aug., *De Gen. ad litt.*, XI, 30 (363,15-17)

2 Nunc ... oportet] Lomb., *Sent.*, II, 24, 1, n.1 (450,15-16)

liberi arbitrii. Tertio determinat de ipso per comparationem ad gratiam. Secunda incipit in principio 25 distinctionis ibi: *Iam uero ad propositum redeamus*. Tertia in principio 26 distinctionis ibi: *Hec est gratia operans*. Prima diuiditur in duas. Primo determinat de libero arbitrio et de aliis potentiis. Secundo ostendit quomodo in eis habet esse peccatum. Secunda ibi: *Illud quoque pretereundum non est*. Prima est in principio lectionis et diuiditur in duas. Primo determinat de auxilio dato in generali. Secundo magis in speciali ostendendo quod fuit illud auxilium. Secunda ibi: *Hic considerandum est quod fuerit illud adiutorium homini*. Prima in duas. Primo determinat suum intentum. Secundo opponit contra determinata. Secunda ibi: *Set quomodo rectam et bonam*. Secunda, in qua determinat specialiter de auxilio, diuiditur in tres. Primo proponit quod illud auxilium fuit liberum. Secundo determinat de libero arbitrio. Tertio de aliis potentiis anime. Secunda incipit ibi: *Liberum uero arbitrium*. Tertia ibi: *Est enim sensualitas*. Hec est sententia lectionis etc.

[2] In speciali sic procedit et proponit primo quod homo in sua prima creatione liberam et rectam uoluntatem accepit et auxilium per quod posset stare, non tamen perficere ad glorie meritum; si tamen tale adiutorium non recepisset, propter peccatum puniendus non esset. Postea obiicit in contrarium quomodo inquit erat recta uoluntas hominis per quam non meruit nec stetit et respondet quod recta erat per carentiam culpe, et quia ad tempus stare ualuit. Ideo obiicit cum resistere malo sit meritorium, si poterat in primo statu resistere malo, ergo potuit mereri. Et respondet quod resistere malo non est meritorium nisi in natura corrupta, ubi est aliquid ad malum impellens. Postea dicit quod illud auxilium fuit libertas arbitrii sine omni corruptione. Postea dicit quod liberum arbitrium est *facultas rationis et uoluntatis*, quia bonum eligitur per gratiam uel malum sine gratia. Et dicitur liberum arbitrium quoad uoluntatem, arbitrium uero quoad rationem in quo est potentia discernendi; potest tamen liberum arbitrium uelle naturaliter bonum et malum utrunque discernendo quod quedam bruta animalia ratione carentia non habent, set sensituum et appetituum que sensualitas dicitur. Postea

35 facultas ... 36 uoluntatis] Lomb., *Sent.*, II, 24, 3 (452,27-28) cum adn.; etiam ap. Thom., *Super Sent.*, II, 24, 1, 1, arg. 2 (589); *S.th.*, I, 83, 2, arg. 2; De uerit., 24, 5, arg. 1 (692,4-5); Aeg. Rom., *Ord.*, II, 24, pars 1, 1, 1, arg. 1 (242bC); Bonau., *Super Sent.*, II, 25, 1, art. unic., 3, resp. (596a)

DISTINCTIO XXIV EXPOSITIO TEXTVS

dicit quod sensualitas est quedam uis anime ex qua est motus in
corporis sensus et appetitus pertinentium ad corpus, ratio uero anime
pars superior excedens omne quod commune habemus cum brutis;
45 cuius duplex est portio: una inferior, que temporalia disponit, alia
superior, que eternis conspicientibus intendit. Et hec duo non
diuersas naturas nominant, set diuersa officia. Et in hoc terminatur
etc.

QUESTIO PRIMA

VTRVM LIBERVM ARBITRIVM SIT POTENTIA ANIME

[1] Circa distinctionem istam queritur de duobus principaliter.
Primum est de libero arbitrio. Secundum est de diuisione rationis in
5 superiorem et inferiorem. Circa primum queruntur tria. Primum est
utrum liberum arbitrium sit potentia anime an habitus eius an actus.
Secundum est utrum potentia pure passiuia possit esse libera. Tertium
est in qua potentia sit principalius libertas, uidelicet in intellectu an
in uoluntate. Ad primum sic proceditur et uidetur quod liberum
10 arbitrium sit habitus, quia *potentia non efficitur facilis ad actum nisi
per habitum*; set libertas dicit facilitatem potentie ad actum, ut
uidetur; ergo etc.

[2] Set uidetur quod sit actus, quia liberum arbitrium dicit
principium actum liberorum; set nuda potentia non potest
15 secundum se esse principium talium actuum, set solum mediantibus
quibusdam actibus; ergo liberum arbitrium non nominat nudam
potentiam, set aliquem actum. Maior supponitur. Set minor
probat, quia primus actus qui est liber seu in potestate nostra, est
deliberatio uel conclusio deliberationis. Alioquin actus penitus
20 indeliberati essent in potestate nostra, quod uidetur falsum. Set
neuter predictorum actuum est in potestate nostra nisi mediante
aliquo actu elicito a uoluntate et alio elicito a ratione, quia deliberatio
non elicitor a uoluntate, cum sit actus intellectus, set solum

imperatur ab ea mediante aliquo actu ab ea elicitio. Item omnem actum uoluntatis precedit aliquis actus rationis, ergo deliberatio et conclusio deliberationis, qui sunt primi actus liberi, non sunt in potestate nostra nisi mediantibus aliis actibus; et hec fuit maior. 25

[3] In contrarium arguitur quia illud principium cuius actus elicitio sunt primo in potestate nostra est liberum arbitrium; set uoluntas est huiusmodi; ergo etc. Maior probatur, quia quod est principium omnium actuum qui sunt in potestate nostra est liberum arbitrium; set illud quod est principium omnium aliorum actuum existentium in potestate nostra, ergo maior probanda sequitur. Minor probatur, quia actus qui sunt primo in potestate nostra aut sunt actus intellectus precedentes omnem actum uoluntatis aut sunt actus a uoluntate elicitio aut a uoluntate imperati; non primi, quia illi sunt pure naturales, et ad eos se habet intellectus pure passiuus; nec actus imperati sunt primo in potestate nostra, quia illi actus qui de necessitate sequuntur ad aliquos actus non sunt primo in potestate nostra; set actus a uoluntate nostra imperati sunt huiusmodi; ergo etc. Maior patet, quia actus qui de necessitate sequitur ad alium non est secundum se in potestate nostra, set ratione alterius ad quem sequitur. Et ita non primo. Minor probatur ex IX *Metaphysice* ubi dicit PHILOSOPHVS quod uolens et potens necessario operatur, ergo relinquitur quod actus qui sunt primo in potestate nostra, sunt actus a uoluntate elicitio. Et hec fuit minor principalis rationis. | 30 35 40 45

[4] Responsio. Dicendum est quod liberum arbitrium non est habitus neque actus elicitio, set est potentia intellectus uel uoluntatis uel utraque simul. Quod patet supposito quodam principio, uidelicet quod liberum arbitrium est principium omnium actuum liberorum. Hoc enim supposito, patet faciliter quod liberum arbitrium non est habitus acquisitus ex actibus uel innatus. Non acquisitus propter duo. Primum est quia actus precedentes acquisitionem talis habitus non essent liberi, quia liberum arbitrium est principium omnis actus liberi, posterius autem non est principium prioris; ergo liberum arbitrium non esset principium actuum precedentium ipsum, et ita non essent liberi, quod est falsum, tum quia non possemus peccare 50 55

44 uolens ... 45 operatur] cf. Arist., *Metaph.*, IX, 5, 3 (1048a10-15)

24 Item] alias set *i.m. add. π*

per ipsos, tum quia actus causantes habitum et causati ex habitu
 60 similes sunt, ut patet ex II *Ethico*rum. Et ideo si sequentes
 sunt liberi, et precedentes. Secundum est quia habitus determinatus
 ex actibus determinate inclinatur ad bene operandum uel determinate
 ad male, ut patet ex II *Ethico*rum; set liberum arbitrium non
 inclinatur determinate ad alterum, set indifferenter ad utrunque, quare
 65 etc. Si dicatur quod est habitus innatus, adhuc habemus propositum,
 quia talis habitus non distinguitur realiter a potentia, cum non sit
 aliud quam habitualis inclinatio, quam habet potentia ad tale uel tale
 obiectum.

[5] Quod autem liberum arbitrium non sit actus elicitus probatur
 70 sic: actus qui dicitur esse liberum arbitrium aut est unus et idem cum
 actu liberi aut non. Si sic, ergo non est principium eius, quia idem
 non est principium sui ipsius, et per consequens non est liberum
 arbitrium, quia liberum arbitrium est principium omnis actus liberi.
 Si non, aut illi duo actus sunt simul aut non; non potest dici quod
 75 sint simul, quia secundum cursum nature, de quo nunc loquimur,
 neque duo actus intelligendi neque duo actus uolendi possunt esse
 simul; si non, set adueniente secundo primus cessat, sequitur quod
 primus non est causa secundi, quia causa proxima et immediata, siue
 sit effectiua siue sit materialis, in qua uel ex qua simul est cum
 80 effectu. De effectiua dicitur II *Physico*rum, de materiali uero,
 qualitercumque accepta, de se notum est; si ergo non est simul, non
 est causa talis, nec per consequens est liberum arbitrium, cum
 liberum arbitrium sit causa effectiua uel receptiua actuum liberorum.
 Patet ergo quod liberum arbitrium non est habitus nec actus,
 85 relinquitur ergo quod si <t> potentia, quod concedendum est.

[6] Est tamen aduertendum quod liberum arbitrium non nominat
 aliquam potentiam absolute, set nominat proprietatem potentie uel
 potentiam sub proprietate; quod non nominet aliquam potentiam
 absolute, patet, quia si liberum arbitrium nominaret aliquam
 90 potentiam absolute, omnes actus illi potentie essent actus liberi
 arbitrii; set nulla est potentia anime, cuius omnes actus sint liberi
 arbitrii, etc. Minor probatur deducendo in omnibus potentiis anime;
 actus enim uegetatiue potentie non sunt liberi, set sunt pure
 naturales; actus etiam partis sensitue non sunt liberi, quia non
 95 habent iudicium de propriis actibus, ut postea magis patebit quando

inquiretur de causa libertatis. Item non omnes actus intellectus sunt liberi, saltem ille qui est respectu primorum principiorum, nec omnes actus uoluntatis, saltem ille qui est respectu boni secundum eius communem rationem; ergo liberum arbitrium non nominat aliquam potentiam absolute. 100

[7] Relinquitur ergo quod nominat proprietatem potentie uel potentiam sub proprietate. Quod contingit uidere sic: quando enim aliqua potentia habet aliam et aliam habitudinem ad aliud et aliud obiectum, secundum utrumque potest sortiri nomen proprium, sicut uidemus in intellectu, quod quia habet aliam habitudinem ad prima 105 principia, in que fertur intuitiue et sine discursu, et aliam ad conclusiones, quas discurrendo et conferendo deducit ex primis principiis, ideo secundum primam uocatur intellectus, secundum uero secundam habitudinem uocatur ratio; eodem modo est circa uoluntatem: habet enim uoluntas aliam habitudinem ad communem 110 rationem boni, respectu cuius necessitatur quadam immutabilitate, et aliam respectu bonorum particularium contingentium, quibus admiscetur ratio mali fugibilis, respectu quorum non necessitatur, set
 π170ra potest hoc uel illud eligere uel refutare; secundum primam | habitudinem uocatur uoluntas proprie, set secundum secundam 115 proprietatem uel habitudinem dicitur liberum arbitrium, non ipsa sola, set etiam intellectus respectu eorundem; libertas ergo nominat illam proprietatem uoluntatis quam habet respectus eorum ad que non necessitatur. Et liberum arbitrium nominat uoluntatem intellectum sub hac proprietate. Et utraque dictarum habitudinum 120 circa intellectum et uoluntatem magis debet dici proprietas naturalis quam habitus, quia habitus semper dicit aliquid additum potentie, quod si quandoque dicatur habitus, et improprie, hoc quidem tolerandum est, quoad primam habitudinem intellectus et uoluntatis, secundum quam determinantur ad unum, set nullo modo quoad 125 secundam, secundum quam habent quandam indeterminationem; semper enim habitus importat quandam determinationem potentie.

[8] Ad primum argumentum dicendum quod liberum arbitrium dicit facilitatem rationis et uoluntatis, non accipiendo facilitatem pro facilitate quam ponit habitus circa difficilia, set accipitur ibi facilitas 130

122 habitus² ... potentie] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 24, 1, 1, sol. (590); *De uerit.*, 24, 4, arg. II (689,75-690,79)

pro potestate intellectus et uoluntatis quam habet in acceptando uel refutando.

[9] Ad secundum, cum dicitur quod primus actus qui est in potestate nostra est deliberatio uel conclusio deliberationis, dicendum
135 quod hic est duplex defectus. Primus est quia maior potest negari probabiliter, quia, sicut dicitur II *Physicorum*, ars non deliberat, immo ex defectu artis procedit deliberatio; non enim scriptor deliberat qualiter formabit litteram, nisi sit imperitissimus, et tamen opera artis sunt libera in potestate nostra.

140 [10] Item intemperatus non deliberat an debeat uelle delectabilia, quia hec accipit tanquam finem, et tamen hec uelle est in potestate sua, alioquin non peccaret hec uolendo, quod tamen falsum est. Et si dicatur quod intemperatus peccat hoc uolendo, non quia illud uelle nunc sit in potestate, quia non est sic, cum qualis unusquisque est,
145 talis sibi finis uideatur, set quia a principio fuit in potestate sua quod in eo causaretur talis habitus uel non causaretur, sicut dicitur de illo qui inebriauit se ex culpa sua uel incidit in frenesim, et in eis commisit homicidium, non ualet, quia ebrietas et frenesis tollunt iudicium rationis, et ideo quod faciunt ebrii uel frenetici non
150 imputatur eis ad nouum peccatum, set totum peccatum fuit illud factum, per quod uoluntarie incidunt in ebrietatem uel frenesim, et propter illud merentur tot maledictiones quot mala sequuntur, quanuis non peccent semper nouo peccato. De intemperato autem non sic est, quia non amisit iudicium rationis, et potest de eo quod
155 accipit ut finem deliberare ex altiori fine, etsi non deliberat, set sine deliberatione acceptat, peccat nouo peccato. Et cum dicitur quod qualis etc., uerum est inclinatiue, set non necessario, alioquin nullus uitiosus esset curabilis.

[11] Sic igitur intemperatus peccat, et tamen ille actus nec est
160 deliberatio, nec conclusio deliberationis, ergo maior illa non est uera. Ad probationem, cum dicitur quod actus penitus indeliberati non sunt in potestate nostra, dicendum quod actus penitus deliberari possunt accipi dupliciter. Vno modo illi de quibus non est deliberatum neque potuit deliberari, sicut sunt primi motus subiti

131 pro ... uoluntatis] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 24, 1, 1, ad 2 (591); *S.th.*, I, 83, 2, ad 2

149 et ... 153 peccato] Supra distinctione 22 questione 4 numero 9. Vide Caietanum 12 questione 76 articulo 4. *i.m. add.* π

tangentes mentem, quia nulla deliberatio humana potest esse subita, 165
 et isti non sunt in potestate nostra, nec secundum se nobis
 imputantur, nisi forte propter hoc quod potuerunt preueniri ne
 insurgerent. Alii autem actus sunt indeliberati, quia de ipsis non est
 deliberatum, potuit tamen de eis deliberari, quia mens non solum
 subito eis tangitur, set persistit; et tales actus sic indeliberati bene 170
 sunt in potestate nostra.

[12] Secundum defectus est quia concessa maiore potest minor
 interimi, quia tam deliberatio quam conclusio deliberationis est in
 potestate nostra per nudas potentias, et non per aliquos actus se
 habentes ad hoc in ratione principii actiui uel passiui; et cum 175
 probatur quia liberum arbitrium includit uoluntatem, uerum est; set
 non solum, quia cum ea includit rationem, cum liberum arbitrium
 sit facultas rationis et uoluntatis, quanuis autem deliberatio et
 conclusio deliberationis non sit actus elicited a uoluntate, est tamen
 actus elicited a ratione, sicut electio a uoluntate, et sine alio actu 180
 medio, quia nec in intellectu est simul alius actus cum deliberatione
 nec in uoluntate est alius actus cum electione; et ideo nullum
 argumentum est: ‘Deliberatio non est actus elicited a uoluntate, ergo
 non est actus nude potentie pertinentis ad liberum arbitrium’, sicut
 nullum argumentum esset: ‘Electio non est actus elicited a ratione, 185
 ergo non est actus elicited a nuda potentia liberi arbitrii’, quia
 liberum arbitrium includit utranque potentiam, et utrique respondet
 proprius actus ab ea elicited, neque oportet quod actus intellectus qui
 non est a uoluntate elicited, sit ab ea imperatus, quia non omnem
 actum intellectus precedit aliquis actus uoluntatis, quanuis oporteat e 190
 conuerso.

[13] Argumentum in oppositum quod concludit quod uoluntas
 pertinet ad liberum arbitrium concedendum est ratione conclusionis,
 sic tamen quod ipsa sola non pertinet ad liberum arbitrium, set
 intellectus cum ea et per prius, ut postea patebit. Et cum dicitur 195
 quod actus intellectus precedentes omnem actum uoluntatis sunt
 pure naturales, non est uerum de actibus intellectus precedentibus
 omnem actum uoluntatis liberum, quia omnem liberam electionem
 uoluntatis precedit liberum iudicium rationis, quanuis utrunque
 istorum possint precedere aliqui actus naturales, tam intellectus quam 200
 uoluntatis, tamen quia illi actus non manent cum actibus liberis non

DISTINCTIO XXIV QVESTIO II

possunt dici causa eorum, nec actiua, neque passiuua, nec per consequens sunt liberi arbitrii.

QVESTIO SECVNDA

VTRVM POTENTIA PVRE PASSIVA POSSIT ESSE LIBERA LIBERTATE
ARBITRII

[1] Secundo queritur utrum potentia pure passiuua possit esse libera
5 libertate arbitrii. Arguitur quod sic, quia se habere ad utrumlibet est
conditio pure passiui, ut per COMMENTATOREM apparet S u p e r I I
P h y s i c o r u m . Set liberum arbitrium ex hoc quod liberum se
habet ad utrumlibet; ergo ut sic est pure passiuuum.

[2] Item tota libertas intellectus <et> uoluntatis est respectu
10 determinationis actus; set respectu illius se habent intellectus et
uoluntas pure passiuue; ergo libertas arbitrii potest competere pure
passiuo. Maior patet, quia effectus debet iudicari ex causis proximis et
non ex remotis; set causa determinans actum est proxima, mouens
autem ad exercitum est remota; ergo actus debet iudicari liber ex his
15 que pertinent ad determinationem actus et non ex his que pertinent
ad eius exercitum. Minor probatur, quia illud respectu eiusdem non
potest esse actiuuum et passiuuum; set potentia intellectus et uoluntatis
se habent passiuue ad actus suos elicitos, cum sint in eis tanquam in
subiecto; ergo non possunt ad eos se habere actiue.

[3] Item uoluntas uidetur maxime libera; set ipsa nullo modo se
20 habet actiue ad actus suos; ergo purum passiuuum potest esse liberum.
Maior supponitur et minor probatur, quia si uoluntas se haberet
actiue ad suum uelle, hoc esset uel inquantum uoluntas uel
inquantum uolens aut inquantum uolens uolens se uelle. Non
25 inquantum uoluntas, quia cum semper sit uoluntas, semper uellet.
Nec quia uolens, cum non sit uolens nisi per uelle, idem esset causa
sui ipsius; nec quia uolens se uelle, quia actus reflexus non est causa
actus simplicis, set potius e contrario, quare etc.

[4] Item aliquis actus intellectus practici est liber; set respectu illius intellectus practicus se habet pure passiuē; ergo pure passiuum potest esse liberum. Maior supponitur. Probatio minoris, quia si intellectus practicus se haberet ad talem actum liberum aliquo modo actiue, hoc esset uel per aliquem actum intelligendi uel per aliquid preuium omni actui; non per aliquem actum intelligendi, quia duo actus intelligendi non possunt esse simul (causa autem et effectus necessario sunt simul); nec per aliquid preuium omni actui, puta per nudam potentiam uel per speciem, quia quicquid agitur a cognoscente antequam sit cognoscens necessario agitur, quia quantum ad hoc cadit in gradum non cognoscentium; set quicquid agitur per intellectum uel aliquid existens in eo preuium cognitioni agitur ab intellectu, ut est non cognoscens, ergo non necessarie agitur, ex tali ergo actiuitate non est libertas. Restat ergo quod sufficiat sola passiuitas.

[5] Item illud quod competit alicui nihil agenti, potest competere pure passiuo; set libertas competit alicui nihil agenti, scilicet Deo, qui iudicauit libere et uoluit ab eterno | res fiendas in tempore, et tamen nihil egit ab eterno; ergo libertas potest competere pure passiuo.

[6] Item immaterialitas uidetur esse radix libertatis; aut igitur cum ea sufficit ad libertatem sola passiuitas aut sola actiuitas aut utrunque requiritur. Non sufficit sola actiuitas, quia intellectus agens est actiuus et immaterialis, et tamen non est liber, nec requiritur actiuitas cum passiuitate, quia in Deo non est passiuitas, in quo tamen est libertas; ergo uidetur quod aliquibus sufficiat ad libertatem sola passiuitas sine actiuitate.

[7] In contrarium arguitur quia secundum AVGVSTINVM I De libero arbitrio Culpa est malum quod facimus, et eadem est ratio de merito; set omnis actus liberi arbitrii est meritum uel culpa; ergo ad omnem actum liberi arbitrii habemus nos actiue quantum ad bonum uel malum quod facimus.

[8] Item liberum arbitrium et fortuna reducuntur ad idem genus cause, nisi quod intellectus et liberum arbitrium est causa per se, fortuna uero est causa per accidens. Set fortuna reducitur ad genus cause efficientis, ergo et libero arbitrio. Ergo pure passiuum non potest esse liberum arbitrium. Maior et minor patent ex II

65 P h y s i c o r u m , ubi dicitur quod casus et fortuna sunt cause per accidens, quorum intellectus et natura sunt causa per se.

[10] Item ibidem dicitur quod modorum causarum, unde principium motus, utrunque ipsorum est, scilicet casus et fortuna, ex quibus patent maior et minor.

70 [11] Item illud quod est perfectionis simpliciter non conuenit imperfecto secundum quod est imperfectum; libertas autem est perfectionis simpliciter, cum sit in Deo; passiuum autem in quantum passiuum est imperfectum; ergo nulli pure passiuo competit esse liberum.

75 [12] Responsio. Questio ista non est intelligenda de libertate absolute sumpta, set de libertate arbitrii; hec enim differunt, quia libertas absolute sumpta est in plus quam libertas arbitrii. Nam cum libertas sit in omni natura intellectuali, et in illa solum, natura autem intellectualis includit intellectum et uoluntatem, ideo omnis actus ad
80 quem concurrat intellectus et uoluntas potest dici liber, etiam si non esset possibilitas ad oppositum actum. Quod patet per beatum AVGVSTINVM ENCHIRIDION 6 capitulo, ubi dicit sic: *Neque enim aut uoluntas non est aut libera dicenda non est, qua beati sic esse uolumus ut esse miseri non solum nolumus, set nequaquam prorsus uelle*
85 *possumus*; libertas enim sic absolute sumpta solum excludit a cognoscente et uolente coactionem que pertinet ad seruitutem absolute et simpliciter. Libertas uero arbitrii est qua quis potest in aliquem actum uel eius oppositum contrarie uel contradictorie, et sic libertas excludit non solum coactionem, set omnem necessariam
90 habitudinem, ‘necessariam’ dico necessitate absoluta.

[13] Et de hac libertate procedit questio utrum potentia pure passiuia possit esse libera libertate arbitrii. Ad quam dicendum est premittendo quandam distinctionem actuum liberi arbitrii. Nam quidam eorum se habent ad intellectum et uoluntatem ut solum ab
95 eis imparati, sicut currere et edificare, alii uero ut elicit, ut deliberatio et conclusio deliberationis et electio uoluntatis. Si ergo queratur de libertate arbitrii respectu primorum actuum qui solum sunt ab intellectu et uoluntate imperati dicendum est quod potentia quoquomodo passiuia respectu istorum actuum nullo modo est libera
100 libertate arbitrii. Quod patet dupliciter. Primo, quia tales actus sunt

65 casus ... accidens] cf. *Auct. Ar.*, 2, 77 (146,32-33)

82 Neque ... 85 possumus] Aug., *Enchir.*, XXVIII, 105 (106,17-20)

passiue et receptiue in potentiis sensitiuis uel in organis corporis; set constat quod potentie sensitiue uel organa corporis non sunt liberi arbitrii, cum liberum arbitrium sit facultas intellectus et uoluntatis; quare etc. Secundo, quia tales actus non sunt liberi nisi quia sunt liberi imperati; set imperans ut sic solum se habet ad actum 105 imperatum actiue, ut patet ex V *Metaphysice* capitulis 1 et 2; ergo potentia quoquomodo passiuua respectu istorum actuum non est libera. Et confirmatur, quia libertas arbitrii in Deo ad actum imperatum est pure actiua et Deus est pure actiuus, quia non differunt in eo quod agit et quo agit, ergo in nobis in quibus 110 differunt quod et quo agit, licet quod agit et quod imperat possit esse passiuum secundum aliquid sui, non tamen illud quo agit ut
 π170vb imperans, illud enim | est aliquis actus qui nullo modo se habet ad actum imperatum ut eius susceptiuum.

[14] De actibus autem elicitis est maior dubitatio, et habet solum 115 locum in creaturis, quia in Deo nullus est actus elicitus differens ab intellectu et uoluntate nisi secundum rationem tantum, quia omne intelligere et uelle diuinum est idem cum intellectu et uoluntate secundum rem; et ideo unum non se habet ad alterum ut principium elicitiuum actiue uel passiue, et nihilominus talis actus est liber, quia 120 Deus non solum uult res producere libere, ita quod ly 'libere' determinet productionem, set uult libere producere res, ita quod ly 'libere' determinet uolitionem, immo, quod plus est, primus sensus est falsus et secundus est uerus, quia ut dicitur IX *Metaphysice* potens <et> uolens necessario operatur, et 125 loquitur de necessitate consequente, quia id posse et uelle necessario sequitur operatio uolita, que est actio imperata, et ideo si antecedens est necessarium et non liberum, ergo libertas tota actionis sequentis est ex libertate uolitionis precedentis.

[15] Item HVGO dicit et habetur libro I *Sententiarum* 130 capitulo 46, ubi dicit sic: *potest Deus facere aliud quam fecit, et tamen si aliquid aliud faceret alius non esset*, et etiam potest aliud uelle quam uult, ecce quod ponit in Deo libertatem non solum quoad uelle, et

125 potens ... operatur] cf. Arist., *Metaph.*, IX, 5, 3 (1048a10-15)

131 potest ... 132 esset] cf. Hugo de S. Vict., *De sacram.*, I, 2, 22 (PL 176, 215C-D); Petr. Lomb., *Sent.*, I, 43, 1, 10 (303,12-13)

125 et¹] *suppl.*: om. π

idem dicunt omnes sancti et doctores catholici. Ex quo patet quod de
 135 ratione libertatis in communi non est esse actiuum uel passiuum
 respectu actus liberi. Cuius ratio est quia unum et idem secundum
 essentiam simplicem non potest esse actiuum et passiuum respectu
 sui ipsius, quia quod agit, agit aliud et quod recipit, recipit aliud; set
 libertas reperitur in aliqua uoluntate et actu suo ubi unum non
 140 differt realiter ab altero, scilicet in Deo; ergo ibi est libertas sine
 ratione actiui et passiui. In nobis autem constat quod aliqui actus
 elicitu sunt liberi ad quos se habent in effectus et uoluntas passiuue,
 quia sunt in eis sicut in subiecto; utrum autem se habeant ad eos
 effectiuue, magna est dubitatio. Set quicquid sit de hoc, quia quoad
 145 nunc nolo me ad alterum determinare, quia sine hoc questio
 procedit, utrum scilicet et intellectus et uoluntas, que includuntur in
 libero arbitrio, si sint solum potentie passiuue respectu talium actuum
 uel sint simul actiue et passiuue, sola passiuitas sufficiat ad libertatem
 eius, uel ad eam necessario requiratur aliqua actiuitas.

150 [16] Ad quod sciendum est quod causa talis libertatis est connexio
 contingens aliquorum uolubilia ad per se et necessario uolubilia, et
 notitia talis connexionis contingentis ex qua consurgit contingens
 iudicium intellectus in comprobando talia uel reprobando, et
 contingens electio uoluntatis in acceptando uel refutando, quia nec
 155 intellectus nec uoluntas habent necessariam habitudinem ad talia, nec
 secundum se, cum secundum se non sint necessario et per se
 uolubilia, nec propter aliud, cum non habeant necessariam
 habitudinem ad per se et necessario uolubilia.

[17] Quantum ergo ad istos actus, scilicet conclusiuum iudicium
 160 intellectus et electionem uoluntatis experimur in nobis duplicem
 libertatem. Vna est quia possumus hos actus habere uel non habere.
 Alia est quia habentes tales actus non necessario tendimus per eos in
 eorum obiecta, loquendo de necessitate absoluta. Et quia primum
 experimur in nobis, probo secundum, quia in cognoscente et uolente
 165 illi actus sunt liberi qui sunt absque coactione et absque necessaria
 habitudine potentiarum ad obiecta, loquendo de necessitate absoluta;
 set sic est in proposito; ergo etc. Maior patet, quia libertas arbitrii in
 cognoscente et uolente non excludit nisi coactionem et necessitatem
 absolutam. Minor declaratur, quia tendentia potentie in obiecta per
 170 actus tales nec est coacta nec necessaria necessitate absoluta. Et
 confirmatur ratio. Nam sicut Deus ab eterno libere decreuit ac uoluit
 aliqua fieri tempore, non quia potuit habere uel non habere actum

talis iudicii uel electionis quantum ad essentiam actus; set quia
 intellectus diuinus practicus et uoluntas non habent necessariam
 habitudinem ad talia uolita, sic nos habentes tales actus libere per 175
 ipsos iudicamus et uolumus aliqua fieri preter libertatem quam
 habemus respectu talium actuum in posse habere eos uel non habere;
 loquendo ergo de tali libertate dicendum est quod ad eam nihil per se
 facit actiuitas. | Cuius ratio est quia illud nihil facit per se ad
 π171ra libertatem quo excluso remanet tota libertas et tota ratio libertatis; set 180
 exclusa actiuitate remanet tota libertas et ratio libertatis; ergo etc.
 Probatio minoris, quia talis libertas consistit in habendo talem actum
 respectu talis obiecti, ut dictum est; set per hoc quod potentia agit
 non habet actum quem agit, set potius per hoc quod ipsum recipit,
 quia si ageret et non reciperet, sicut est in actionibus transeuntibus, 185
 non haberet ipsum; si autem reciperet et non ageret, nihilominus
 haberet; ergo etc. Passiuitas autem per se facit ad talem libertatem,
 inquantum tales actus sunt quedam perfectiones realiter a potentia
 differentes et de nouo existentes in ea, quia eos non haberet, nisi eos
 reciperet; recipere autem est passiui; absolute autem loquendo nec 190
 actiuitas nec passiuitas per se faciunt ad talem libertatem nisi ratione
 materie, quia si actus esset essentialiter indifferens in nobis sicut in
 Deo, potentia non se haberet ad talem actum, nec actiue nec passiue,
 ut probatum fuit prius.

[18] Loquendo autem de libertate prima, per quam possumus tales 195
 actus habere uel non habere, dicendum est quod cum pure passiuum
 sit quod nullo modo est actiuum, aliquid dicitur esse actiuum
 dupliciter, scilicet quoad exercitium actus uel quoad terminationem
 actus; quod est sic intelligendum, non quia actus determinatus et eius
 exercitium sint duo distincta secundum rem, imo sunt idem realiter, 200
 set illud dicitur mouere quantum ad determinationem actus, quod
 imprimat formam uel motionem mobili, sicut ignis mouet ad
 calefactionem aque, imprimendo ei calorem. Et hoc modo, ut dicunt
 quidam, obiecta mouent dictas potentias, scilicet intellectum et
 uoluntatem. Illud autem dicitur mouere quantum ad exercitium 205
 actus quod applicat actiuum passiuo, sicut applicans ignem aque
 mouet ad exercitium calefactionis, et in proposito illud quod applicat
 obiecta potentiis dicitur eas mouere quantum ad exercitium actiuum,
 et dicuntur prima mouentia mouere ad determinationem actus, quia
 per determinatam formam agunt determinatam motionem, et non 210
 quamlibet. Set secunda mouentia dicuntur mouere ad exercitium

actus tantum, et non ad terminationem, quia quantum in ipsis est, possunt applicare diuersa actiua passiuus, et sequuntur diuerse actiones, sicut homo potest applicare manui ignem ad calefaciendum
 215 uel niuem ad infrigidandum; determinatio autem istarum actionum est non ex applicante, set ex determinatis formis proximorum agentium applicatorum.

[19] Quo supposito dicendum est quod illud quod nullo modo est actiuum, neque quoad exercitium actus neque quoad
 220 determinationem actus, non potest esse liberum; illud autem quod est pure passiuum quoad determinationem actus, dum tamen sit actiuum respectu exercitii actus, potest esse liberum. Primum patet tripliciter. Primo sic: potentia que de se est indifferens ad plura et nihil penitus agit nec agere potest ad suam determinationem non est
 225 potentia liberi arbitrii. Set potentia pure passiuus est huiusmodi, ergo etc. Maior patet, quia per liberum arbitrium intelligimus principium per quod habemus dominium nostrorum actuum sic quod in potestate habentis tale principium est exire in actum uel non exire et exire in aliquem actum uel eius oppositum; set per illud quod est
 230 indeterminatum et nihil agit nec agere potest ad suam determinationem non habemus talem potestatem seu tale dominium, quia indeterminatum non potest exire in actum nisi determinetur; set nihil potest determinari nisi ab aliquo agente talem determinationem, quia nihil fit nisi ab aliquo agente; per illud ergo quod nihil agit nec
 235 agere potest ad talem determinationem nullus potest habere tale dominium super actum sequentem, quare etc. Et sic patet maior principalis rationis. Minor de se nota est, quia pure passiuum nihil potest agere, quia agere non est nisi actus alicuius actui.

[20] Secundo sic, quia si per principium actiuum haberemus
 240 actum nostrum in potestate nostra modo quo dictum est, aut hoc esset, quia solum principium passiuum potest exire per se in actum uel non exire nullo actiuo presente, aut hoc esset, quia presente actiuo principium passiuum habere in potestate sua determinare agens ad agere uel non agere aut se ipsum ad pati uel non pati.
 245 Primum non potest | dici, quia sequeretur quod actio esset sine *π171rb* agente, quod est impossibile. Nec secundum, quia determinare sic agens uel passum est quoddam agere, agere autem nullo modo est pure passiuus, quare etc.

[21] Tertio sic: maius est impedire totaliter actum quam causare
 250 remissionem in actu; set nullum pure passiuum potest causare

remissionem in actu; ergo nullum pure passiuum potest totaliter impedire actum, et ita non est liberum, cum liberum arbitrium sit quo possumus exire in actum uel non exire. Maior patet de se; set minor probatur, quia pure passiuum, cum non habeat aliquam resistentiam ad agens neque ad formam recipiendam, recipit eam 255 secundum totam capacitatem sui et secundum totam uirtutem agentis, si sit agens ex necessitate nature, et sic non est remissio in actione, sicut patet in aere summe disposito ad receptionem luminis; ideo etc. Et sic patet primum, scilicet quod potentia pure passiuu respectu exercitii actus et determinationis eius non est libera. 260

[22] Secundum patet, scilicet quod potentia que est passiuu respectu determinationis actus, dummodo sit actiua respectu exercitii, potest esse libera, quia ille in cuius potestate est applicare uel non applicare actiuum passiuo et impedire applicationem, que posset fieri ab altero, habet in libertate sua actum sequentem, et maxime si potest 265 applicare actiuum secundum aliam et aliam rationem actiui; set per intellectum et uoluntatem in quibus consistit libero arbitrio habet homo potestatem applicandi uel non applicandi ea que agunt intellectionem uel uolitionem, et secundum aliam et aliam rationem boni uel mali, appetibilis uel respuibilis, et impedire applicationem 270 que fieret per alium; ergo per intellectum et uoluntatem, ut habent actiuitatem respectu exercitii actus applicando actiua passiuus uel in posse applicare uel applicationem impedire, habemus libertatem respectu actuum nostrorum sequentium. Maior patet, quia nullus actus potest esse, nisi actiuum sit prius passiuo, fit etiam secundum 275 formam actiui, que est ratio agendi. Et ideo quod habet potestatem super applicationem uel non applicationem actiui ad passiuum secundum aliam rationem agendi habet libertatem super actum sequentem, uerbi gratia in potestate nostra est applicare nobis ignem uel nos igni, et si alius applicet impedire, et si esset in potestate nostra 280 quod ignis applicatus esset calidus uel frigidus, certe in libertate nostra esset caleferi uel non caleferi; et sic patet maior. Minor similiter manifesta est, quia uires inferiores sensitive que ministrant obiectum intellectui et uoluntati nate sunt obedire imperio rationis et uoluntatis, quantum ad exercitium actus. 285

[23] Iuxta quod sciendum est propter pleniorem intellectum quod illud per quod habemus talem potestatem est iudicium intellectus, quo iudicat aliquid esse contingenter uolubile et non habere necessariam connexionem cum aliquo per se et necessario uolibili. Et

290 rationabiliter, quia sicut dicit ANSELMVS De libero arbitrio
 in principio: *Quantis liberum arbitrium in nobis et in Deo differat*,
 ratio *tamen libertatis* est una; sicut ergo in Deo ratio libertatis
 consistit in notitia quam Deus habet de contingenti connexione
 creaturarum cum bonitate sua que est ab ipso per se et necessario
 295 uolita, sic ratio libertatis in nobis consistit in notitia quam habemus
 de contingenti connexione aliquorum uolubilium ad per se et
 necessario uolubilia a nobis.

[24] Quod potest uideri per hunc modum. Ex hoc enim quod tale
 iudicatur non necessarium possumus sistere a iudicio concludente
 300 illud esse eligendum, et per idem principium possumus repellere
 occurrentia que nata essent secundum se concludere illud esse
 intelligendum, nisi illa occurrentia mutarent contingentiam in
 necessitatem; uerbi gratia supponamus gratia exempli quod transire
 aquam sit me necessario uoluitum, possum autem eam transire per
 305 pontem uel per nauem et non aliter; certe cuicumque hoc occurrit,
 iudicat quod transire determinate per pontem non est necessarium,
 set contingens, similiter transire per nauem non est necessarium, set
 contingens, quanuis sub disiunctione et indeterminate necessarium
 sit transire per alterum. Ex hoc ergo quod intellectus iudicat quod
 310 neutrum secundum se acceptum est necessarium ad transeundum
 aquam potest intellectus sistere quod non procedatur ad consensum | *π171va*
 transeundi per istud determinate, et per idem potest repellere omnia
 occurrentia que possent mouere ad consensum, nisi mutarent
 contingentiam in necessitatem; puta si pons caderet, tunc enim
 315 transire per nauem, quod erat prius contingens factum, esset
 necessarium, set manente contingentia et possibilitate utriusque
 medii, omnia concurrentia possunt repelli per hoc quod semper
 iudicabitur non necessarium quocumque addito, et ideo potest
 dimitti uel actus suscipiendi quo iudicatur tale medium determinate
 320 eligendum, quia sine eo potest haberi finis; quod si aliquod tale
 medium eligitur, libere eligitur, quia potuit non eligi ratione iam
 dicta. Rursum, quia non solum iudicamus quodlibet istorum
 mediorum esse contingens, accipiendo quodlibet secundum se, set
 iudicamus alterum necessarium in uniuersali et indeterminate, ideo
 325 necessario uolumus indeterminate alterum istorum, et propter hoc
 sicut in potestate nostra est sistere uel suspendere conclusium

iudicium istius uel illius determinate, sic in potestate nostra est per eundem actum cum uoluntate predicta mouere ad inquirendum quod illorum mediorum acceptabit, ut melius ex quo alterum oportet acceptare, que inquisito fiet imperando exercitum uirium inferiorum ministrantium obiecta intellectui et uoluntati sub diuersis rationibus appetibilis uel respuibilis, omnibus tamen contingenter se habentibus, et ideo semper impedibilibus. Et sic patet quod libertas in nobis dependet ex aliquo principio actiuo, et quid sit illud.

[25] Set hic insurgit unum dubium, quia si libertas est in nobis respectu exercitii actus, quia exercitium imperatur per actus intellectus et uoluntatis, tunc illud per quod habemus primum dominium nostrorum actuum non est potentia, set actus unus uel plures; cum ergo liberum arbitrium dicatur illud principium per quod habemus dominium nostrorum actuum, sequitur quod liberum arbitrium non erit potentia, set actus, cuius oppositum dictum fuit in prima questione. Ad quod dicendum est quod non omne illud quod necessario preexigitur ad actum liberum potest dici liberum arbitrium, set oportet quod sit principium actus liberi arbitrii, actiuum uel passiuum. Tale autem principium non potest esse aliquis actus intellectus uel uoluntatis, quia principium actiuum uel passiuum simul est cum effectu, unus autem actus intellectus non est simul cum alio actu intellectus, et idem est de uoluntate. Et ideo nullus actus potest esse liberum arbitrium, quia illud non est per se principium alteri, neque actiuum neque passiuum. Et ponitur exemplum. Aliquis uult sanitatem secundum se; postea occurrit quod non potest eam habere nisi mediante potione, et ideo eligit potionem quam nunquam elegisset, nisi propter sanitatem quam uult. Nunquid actus quo uult sanitatem est principium effectiuum uel passiuum electionis medicine? Certe non, quia uel sunt idem actus uel duo. Si unus et idem, non est ibi causalitas, quia idem non est causa sui ipsius. Si duo tunc non possunt esse simul, et sic unus non est causa effectiua uel receptiua alterius, quia causa et effectus sunt simul, et tamen actus eligendi potionem processit ex actu uolendi finem. Et similiter in proposito, licet aliquis actus necessario preexigatur ad actum liberalem, non est tamen causa eius actiua uel passiuua. Et ideo non est liberum arbitrium; est enim necessaria suppositio inter multa, que non se habent sicut causa et effectus.

341 cuius ... 342 questione] huius distinctionis. *i.m. add. π*

[26] Ad rationes principales respondendum est. Ad primum dicitur
 365 quod se habere ad utrumlibet et nihil posse agere ad suam
 determinationem est conditio pure passiui; et tunc minor est falsa,
 quia, quanuis liberum arbitrium se habeat ad utrumlibet, tamen
 aliquid agit ad suam determinationem, et ideo non est pure
 passiuum.

370 [27] Ad secundum dicendum est per interemptionem maioris. Et
 cum probatur quod effectus iudicatur ex causis proximis et non ex
 remotis, dicendum est quod iudicium de effectu quantum ad
 conditionem necessitatis et contingentie sumitur ex omnibus causis,
 tam proximis quam remotis, quia ad necessitatem effectus requiritur
 375 quod omnes cause sunt necessarie. Ad contingentiam autem eius
 sufficit quod altera sit contingens, nec refert que sit illa, proxima an
 remota, sicut in syllogisticis conclusio est contingens, si altera
 premissarum sit contingens, siue maior siue minor. Et ideo
 contingentia actus liberi potest esse ex sola causa remota. |

π171vb

380 [28] Ad tertiam dicendum quod uoluntas potest se habere ad
 actum suum liberum aliquo modo actiue, in quantum per intellectum
 et uoluntatem potest suspendi actus electionis et iudicii
 correspondentis, ut declaratum fuit prius. Et cum probatur quod
 non, quia si uoluntas se haberet actiue ad suum uelle, hoc esset aut
 385 in quantum uoluntas aut in quantum uolens aut in quantum uolens se
 uelle, dicendum quod actiuitas que sufficit ad libertatem non requirit
 actualiter agere, set sufficit posse agere quod non agitur, ut in peccato
 omissionis, uel posse non agere quod agitur, ut in peccato
 commissionis. Tale autem posse est intellectu et uoluntate per aliquos
 390 actus precedentes actus liberos, et sic per uelle liberum non habet
 actiuitatem ad illud uelle, quia idem esset causa sui ipsius, set per
 uelle necessarium quod precedit, non quia illud sit causa actiua
 immediata sequentis uelle, set quia per illud prius potuit suspendi
 actus iudicii et actus uolendi. Et ideo imputatur nobis ex eo quod
 395 impedire potuimus et non impediimus.

[29] Ad quartam dicendum per interemptionem minoris, quia
 intellectus practicus, licet esset pure passiuus respectu actus liberi
 quantum ad determinationem, actus habet tamen actiuitatem
 respectu exercitii. Et cum probatur quod non, quia illam actiuitatem
 400 haberet per aliquem actum intelligendi uel per aliquid preuium omni
 actui, dicendum quod per actum aliquem intelligendi qui non est
 simul cum actu intelligendi libero. Et ideo non est causa eius

effectiua immediata, set est primus tanquam potens impedire uel non impedire actum sequentem.

[30] Ad quintam dicendum est quod illud quod competit alicui nihil agenti nec potenti agere potest competere pure passiuo; set liberum arbitrium non est huiusmodi etiam in Deo, quia licet Deus nihil egerit ab eterno, habuit tamen potentiam ab eterno, per quam potuit agere quod non egit. Item libertas in Deo non est ad habendum actum uel non habendum.

[31] Ad sextam dicendum quod ad libertatem in nobis non sufficit immaterialitas cum actiuitate, set requiritur quod potentia libera sit immaterialis et aliquo modo actiua, et cum hoc sit cognoscens uel sequens cognitionem. Et quia intellectus agens non est cognoscens nec sequens cognitionem, ideo non est liber, quanuis sit immaterialis et actiuus, si tamen sit aliquis talis intellectus.

[32] Ad argumenta alterius partis similiter respondendum est. Ad primum, cum dicitur quod culpa est malum quod facimus, dicendum est quod cum culpa sit malum imputabile, sufficit quod ad culpam sic nos habeamus actiue quod ad nos debeat imputari. Hoc autem est per actiuitatem quam habemus respectu exercitii actus, dato quod nullam haberemus respectu determinationis.

[33] Ad secundum dicendum quod liberum arbitrium quantum ad actus exteriores imperatos et fortuna reducuntur ad idem genus cause, uidelicet efficientis, quia respectu actuum imperatorum liberum arbitrium nullo modo habet rationem passiuu, set respectu actuum elicitorum est aliud, ut patuit in deductiones questionis.

[34] Ad tertium patet per idem quod libertas non competit pure passiuo nisi sit aliquo modo actiuum, ut declaratum fuit.

DISTINCTIO XXIV QVESTIO III

QVESTIO TERTIA

VTRVM RESPECTV ACTVS INTELLIGENDI SIT IN NOBIS MAIOR LIBERTAS
QVAM RESPECTV ACTV<S> VOLENDI AN ECONTRARIO

- [1] Tertio queritur respectu cuius actus sit in nobis maior libertas,
5 scilicet an respectu actus intelligendi an respectu actus uolendi. Et
arguitur quod respectu actus uolendi, et per consequens quod
uoluntas sit liberior, quia primus actus liberi arbitrii est electio; set
electio est magis actus uoluntatis quam intellectus; ergo uoluntas est
magis libera quam intellectus.
- 10 [2] Secundo, quia in potentiis ordinatis posterior est perfectior; set
intellectus et uoluntas sunt potentie ordinate et uoluntas est posterior
intellectu; ergo est liberior, quia | libertas ad perfectionem pertinet. π172ra
Maior de se est manifesta, quia secundum ordinem nature est
processus de imperfecto ad perfectum, et ideo posteriora sunt
15 perfectiora. Minor de se patet, scilicet quod uoluntas sequatur
intellectum.
- [3] Tertio, quia illa sola potentia est libera, uel saltem principaliter,
in qua sola est peccatum, uel principalius; set uoluntas est huiusmodi;
ergo etc. Maior patet, quia peccatum non est nisi in libero arbitrio.
20 Minor probatur per beatum AVGVSTINVM, qui dicit quod peccatum
est adeo uoluntarium quod nisi esset uoluntarium non esset
peccatum, et ita peccatum aut solum aut principaliter est in
uoluntate; quare etc.
- [4] Quarto, quia illa potentia est magis libera que in nullo actu suo
25 potest cogi quam illa que potest cogi in aliquo actu; set uoluntas non
potest cogi in aliquo actu suo, intellectus autem cogitur per
demonstrationem, unde PHILOSOPHVS dicit quod quidam
assenserunt aliquibus conclusionibus ab ipsa ueritate coacti; ergo
uoluntas est liberior.
- 30 [5] Quinto, quia potentia pure passiuia non potest esse libera; set
intellectus respectu actus intelligendi est pure passiuus, quia
intelligere est pati, ut dicitur III De anima; ergo intellectus non
est liber, uoluntas autem libera est, quare etc.
- [6] Sexto, quia sicut se habet sensus ad appetitum sensitium, sic
35 intellectus ad uoluntatem; set appetitus sensituius est liberior quam

20 peccatum ... 22 peccatum¹] Aug., *De uera rel.*, XIV, 27 (204,4-5)

32 intelligere ... pati] *Auct. Ar.*, 6, 136 (185,30)

sensus, ut probabitur; ergo uoluntas est liberior quam intellectus. Minor probatur, quia appetitus sensitiuus obedit rationi, ut dicitur in fine I *E t h i c o r u m*, et sic participat aliquid libertatis et ponitur esse subiectum uirtutis, sensus autem libertatem nullam participat; quare etc.

40

[7] Septimo, quia libertas est proportionabiliter in Deo et in nobis, ut dicit ANSELMVS in principio *D e l i b e r o a r b i t r i o*; set in Deo uoluntas est liberior quam intellectus; ergo et in nobis. Minor probatur, quia Deus necessario scit quicquid scit, set non necessario uult quicquid uult, ergo Deus est liber quantum ad uoluntatem et non quantum ad intellectum.

45

[8] In contrarium arguitur primo quia sicut se habet cognoscens ad uiuens, ita se habet liberum ad cognoscens; set omne cognoscens est uiuens et secundum omne illud quod cognoscit uiuit; ergo similiter omne liberum est cognoscens et secundum omne illud quod est liberum cognoscit. Set per uoluntatem non cognoscimus, imo per intellectum; ergo per uoluntatem non sumus liberi, set solum per intellectum.

50

[9] Secundo, quia potentia que est magis indifferens ad opposita est magis libera; set intellectus est magis indifferens ad opposita quam uoluntas, ergo est magis liber. Maior patet, quia ratio liberi arbitrii consistit in differentia, per quam possumus in aliquid uel eius oppositum; ergo potentia que magis est indifferens ad opposita est magis libera. Minor probatur, quia *potentie rationales sunt ad opposita*, ut dicitur IX *M e t a p h y s i c e*; set intellectus est magis rationalis quam uoluntas, cum sit rationalis per essentiam, uoluntas autem per participationem solum; ergo etc.

55

60

[10] Item illa potentia est magis libera que minus dependet ab alia, et hoc statim probatur per illud quod dicitur I *M e t a p h y s i c e* quod liberum est gratia sui; set intellectus minus dependet a uoluntate quam econuerso, quia uoluntas non potest exire in actum sine actu intellectus preuio; intellectus autem ad hoc quod exeat in actum, non preexigit preuium actum uoluntatis; ergo intellectus est liberior quam uoluntas.

65

37 appetitus ... rationi] Arist., Eth. Nic., I, 13, 19 (1103a1-19)

41 libertas ... nobis] Ans., *De lib. arb.*, I (208,3-5)

59 potentie ... opposita] *Auct. Ar.*, I, 222 (134,90)

65 liberum ... sui] *Auct. Ar.*, I, 22 (116,19)

70 [11] Item liberum arbitrium dicitur esse facultas rationis et uoluntatis, hoc ergo intelligitur de utroque per se aut de utroque simul. Si de utroque per se, sequitur quod utrumque sit liberum, et equaliter pertineat ad diffinitionem. Si de utroque simul, sequitur idem per eandem rationem, et sic uidetur quod utraque potentia sit
75 libera equaliter.

[12] Responso. Quanuis questio ista directe et precise sit mota de libertate arbitrii, tamen latius tractabitur. Ad cuius intellectum aduertendum est quod quanuis libertas largissime sumpta dicatur immunitas a quocunque bono siue malo culpe uel pene, secundum
80 quem modum APOSTOLVS Ad Romanos 6 dicit peccatores esse liberos iustitie, quia carent iustitia, et iustos dicit liberos a peccato, quia carent eo. Et in 8 capitulo dicit quod beati liberabuntur a seruitute corruptionis, quia carebunt omni miseria et corruptione. Tamen quia iste modus libertatis nimis est improprius et impertinens
85 ad propositum, ideo dimittatur. Ad presens | autem potest sumi π172rb libertas tripliciter. Vno modo pro carentia ordinis ad aliud tanquam ad finem, et sic dicitur liber qui est gratia sui finaliter, seruus autem qui est propter alium, scilicet propter dominum. Et sic loquitur de libertate PHILOSOPHVS I Metaphysice. Et quia de hoc dicitur
90 IV libro, ideo ad presens dimittatur. Secundo modo accipitur libertas pro carentia uel immunitate a coactione in cognoscentibus. Tertio modo accipitur pro immunitate a necessaria determinatione respectu oppositorum, que nihil aliud est quam facultas ad opposita.

[13] Tunc ad questionem dicendum quod loquendo de libertate
95 que est immunitas a coactione, sic dicendum est quod intellectus respectu actus sui eliciti, qui est intelligere, est eque liber sicut uoluntas respectu actus sui, qui est uelle. Quod probatur dupliciter. Primo sic: actus qui est secundum inclinationem rei non potest esse uiolentus uel coactus; set omne intelligere est secundum
100 inclinationem intellectus, sicut uelle est secundum inclinationem uoluntatis; ergo nullum intelligere respectu intellectus est coactum uel uiolentum, nec aliquod uelle respectu uoluntatis. Maior de se patet, quia causa predicati est in subiecto; opponuntur enim esse secundum inclinationem rei et esse uiolentum seu coactum. Minor

80 peccatores ... 81 iustitia] *Rom.*, 6,20

81 iustos ... 82 eo] *Rom.*, 6,18

82 beati ... 83 corruptione] *Rom.*, 8,21

manifesta est, quia inclinatio intellectus est ad omne intelligere; 105
omnes enim homines natura scire desiderant, ut dicitur I
 M e t a p h y s i c e , et *intellectus est quo est possibile omnia fieri*, ut
 dicitur III D e a n i m a ; unde naturalis eius inclinatio est ad
 omne cognoscere. Et sic patet minor, sequitur ergo conclusio.

[14] Secundo sic: omne illud quod potest cogi habet inclinationem 110
 determinatiuam et determinatum modum; set inclinatio intellectus
 ad intelligere non est determinata nec secundum determinatum
 modum; ergo intellectus non potest cogi respectu intelligere. Maior
 patet; quia enim lapis habet determinatam inclinationem ad locum
 deorsum et secundum determinatum modum, scilicet secundum 115
 modum sue grauitatis, ideo potest cogi, aut quia impellitur rursus
 aut quia impellitur deorsum uelocius quam requirat sua grauitas. Set
 si lapis haberet inclinationem ad omnem locum et ad omnem
 modum motus, impossibile esset quod uiolentaretur ad aliquem
 locum uel motum, quia ubicunque moueretur et qualitercunque 120
 equaliter esset secundum inclinationem suam; similiter, quia materia
 prima est de se in potentia ad omnem formam; determinatur autem
 ad hanc uel ad illam per certas qualitates; ideo considerando naturam
 materie prime secundum se omnis generatio est naturalis et nulla
 uiolenta, set considerando dispositionem materie prime 125
 determinantes ipsam inueniuntur quedam generationes uiolente. Et
 sic patet maior, scilicet quod omne illud quod potest cogi habet
 determinatam inclinationem et secundum determinatum modum.
 Minor similiter manifesta est; non enim intellectus habet aliquam
 determinatam inclinationem ad unum intelligere et non ad aliud nec 130
 secundum unum modum, set habet inclinationem ad omne
 intelligere et secundum omnem modum; quare etc. Et sic patet quod
 intellectus non cogitur nec potest cogi respectu actus intelligendi,
 sicut nec uoluntas respectu actus uolendi. Et idem est intelligendum
 de quacunque potentia apprehensiua uel appetitiua respectu actus sui 135
 elicti.

[15] Si autem loquamur de libertate tertio modo dicta, que sola
 dicitur libertas arbitrii, que nihil aliud est quam facultas ad opposita
 absque necessaria determinatione ad alterum, adhuc mihi uidetur
 saluo meliori iudicio quod intellectus est per prius et principalius 140

106 omnes ... desiderant] *Auct. Ar.*, I, I (115,82)

107 intellectus ... fieri] *Auct. Ar.*, 6, 149 (186,50)

liber quam uoluntas. Ad quod sciendum breuiter resumendum est
 illud quod dictum est prius in secunda questione, scilicet quid est
 illud mediante quo habemus in potestate nostra exire in aliquem
 actum uel non exire et exire in aliquem actum uel oppositum; et,
 145 sicut dictum fuit, tunc illud est tam in Deo quam in nobis notitia
 quam habemus de contingenti connexione aliquorum uolibilium ad
 per se et necessario uolibilia. Ex eo enim quod aliquod medium
 iudicatur non necessarium ad consequendum finem quem uolumus,
 possumus sistere a iudicio concludente illud esse eligendum, et per
 150 consequens ab electione. Et per idem principium possumus repellere
 omnia occurrentia que nata essent secundum se | intelligere illud esse π 172va
 eligendum, dum tamen sint contingentia, ut nunc declaratum fuit;
 quod si tale medium eligitur, libere eligitur, quia potuit non eligi,
 cum non sit necessarium ad finem quem uolumus. Rursus, quia finis
 155 quem uolumus non potest haberi nisi per illud medium uel aliquod
 aliud, ideo necessario uolumus indeterminate aliquod medium per
 quod finem consequamur. Et ideo sicut in potestate nostra est sistere
 uel suspendere conclusiuum iudicium illius uel istius medii
 determinare, sic in potestate nostra est per eundem actum cum
 160 uoluntate predicta mouere ad inquirendum quod illorum mediorum
 acceptabitur, ut melius ex quo alterum indeterminate est
 necessarium, que inquisitio fiet imperando exercitium uirium
 inferiorum ministrantium obiecta intellectui et uoluntati sub diuersis
 rationibus appetibilis uel respuibilis, omnibus tamen contingenter se
 165 habentibus.

[16] Hoc supposito probatur suppositum dupliciter. Primo ex parte
 actuum necessariorum, mediantibus quibus habemus actuum
 liberorum dominium. Secundo ex parte actuum liberorum, quorum
 habemus dominium. Primo sic: illa potentia est per prius et
 170 principalius libera per cuius actum habemus per prius et principalius
 dominium actuum nostrorum; set talis potentia est intellectus magis
 quam uoluntas; ergo intellectus est per prius et principalius liber
 quam uoluntas. Maior de se patet. Minor probatur, quia cum per
 duos actus habemus ceterorum dominium, scilicet per notitiam
 175 connexionis contingentis aliquorum uolibilium ad per se et
 necessario uolibilia ('connexionis' dico 'contingentis' quantum ad
 quodlibet eorum determinate, set 'necessario' quantum ad aliquod

indeterminate) et per uoluntatem, quia uolumus necessario alterum indeterminate et non hoc uel illud determinate, per prius habemus tale dominium et principalius per notitiam precedentem quam per 180 actum uoluntatis sequentem, quia ex primo regulatur secundus, et non econuerso. Notitia autem illa pertinet ad intellectum, quare etc.

[17] Idem patet secundo ex parte actuum liberorum, quorum dominium habemus consimiliter ut prius, quia illa potentia est per prius et principalius libera, cuius actum habemus per prius et 185 principalius in potestate nostra; set talis est intellectus et non uoluntas; quare etc. Maior de se patet. Minor probatur, quia primi actus qui sunt in potestate nostra sunt iudicium conclusiuum alicuius eligendi et ipsa electio, inter hos autem actus prius est iudicium conclusiuum, quod pertinet ad intellectum, quam electio pertinens 190 ad uoluntatem, electio autem regulatur per iudicium conclusiuum et non econuerso determinatur, etiam electio necessario ad illud quod libere conclusum est, ita quod uoluntas non potest in oppositum, neque respuere quod est sibi propositum si intellectus iudicauerit finaliter et completiue aliquid, ut nunc eligendum, ut alias probatum 195 est. Et sic tota libertas electionis continetur in libertate iudicii conclusiui. Et sic patet quod intellectus est liber per prius et principalius quam uoluntas.

[18] Ad primum argumentum in oppositum dicendum est quod electio non est primus actus libero arbitrio, set iudicium conclusiuum 200 intellectus determinantis electionem. Et ideo quanuis electio sit actus uoluntatis, quia tamen libertas electionis dependet ex libertate iudicii conclusiui, ideo intellectus est liberior quam uoluntas.

[19] Ad secundum dicendum quod maior propositio non est uera uniuersaliter, quia non omne posterius est perfectius, sicut qualitates 205 sequentes formam substantialem non sunt perfectiores ea, set imperfectiores. Et eodem modo appetitus sensitiuus et intellectiuus sunt imperfectiores sensu et intellectu; quod autem dicitur quod natura procedit de imperfecto ad perfectum, non est sic intelligendum quod omnis forma posterior sit perfectior priore, set 210 quia perfectiones que suscipiunt magis et minus uel maius et minus processu nature deducuntur de imperfecto ad perfectum, sicut homo prius est puer et postea uir, proficiendo in quantitate et uigore.

[20] Ad tertium dicendum per interemptionem maioris, quia quanuis nulla sit culpa nisi respectu eorum quorum habemus 215 dominium per aliquem actum uoluntatis. Tamen quia illud

dominium regulatur et dependet ex notitia intellectus et electio qua peccamus regulatur et dependet ex conclusiuo iudicio rationis, ideo libertas magis se tenet ex parte intellectus quam uoluntatis. Quod
 220 autem di- | -cit beatus AVGVSTINVS, quod peccatum adeo est *π172vb*
 uoluntarium, quod nisi esset uoluntarium, non esset peccatum, utique uerum est, set pro tanto, quia actus quo peccamus uel est actus uoluntatis uel est actus a uoluntate imperatus uel ad ipsum concurrat uoluntas, set non excluditur intellectus regulans
 225 uoluntatem.

[21] Ad quartum dicendum per interemptionem minoris quia intellectus, ut probatum fuit, non potest cogi respectu actus intelligendi, sicut nec uoluntas respectu actus uolendi. Respectu autem actuum imperatorum possunt cogi tam intellectus quam
 230 uoluntas. Et quando dicitur quod philosophi fuerunt coacti a ueritate, potest responderi dupliciter. Vno modo quod improprie accipitur ibi coactio pro necessaria adhesionem cum euidenti ueritate, que non est coactio, set naturalis inclinatio potentie in tale obiectum. Vel potest dici quod PHILOSOPHVS loquitur signanter quia non dicit
 235 quod intellectus fuerit coactus assentiendo cuicumque ueritati, set dicit quod quidam philosophi fuerunt coacti assentire ueritati; ille enim cogitur contra cuius inclinationem fit. Et quia contra inclinationem uoluntatis aliquorum philosophorum uolentium defendere suas falsas opiniones fuit euidencia ueritatis opposite, ideo
 240 manifestata ueritate uoluntas eorum coacta est cui placebat oppositus assensus; set intellectus eorum non est coactus, cum inclinatio eius naturalis sit ad assentiendum manifesto uero, et sic uoluntas coacta est contra cuius inclinationem factum est, non autem intellectus.

[22] Ad quintum dicendum quod potentia que est pure passiuia
 245 respectu determinationis actus, dummodo sit actiua respectu exercitii actus, illa actiuitate qua possit sistere a iudicio conclusiuo, modo quo dictum est prius, potest esse libera; talis autem est intellectus sicut et uoluntas; imo magis quam uoluntas, ut declaratum fuit prius. Et ideo potest esse liber sicut et uoluntas, et plusquam uoluntas.

250 [23] Ad sextum dicendum quod minor est falsa, quia appetitus sensituius non obedit rationi nisi mediante mutatione que fit circa potentias sensituias apprehensiuas, quia appetitus sensituius necessario et precise sequitur iudicium sensus, ut declaratum fuit in questione de habitibus.

[24] Ad septimum dicendum quod minor est falsa, quia intellectus 255
 Dei practicus de aliquo fiendo, cui respondet uoluntas libera, est liber
 et per prius et principalius quam electio uoluntatis secundum
 nostrorum modum intelligendi. Et cum dicitur quod Deus necessario
 scit quicquid scit, uerum est quantum ad notitiam simplicem, qua
 cognoscit quidditates rerum existentes uel possibles, quantum ad 260
 cognitionem speculatiuam et complexam, set quantum ad
 cognitionem practicam, qua dictat aliquid fore uel non fore, liber est,
 quia nihil futurum habet necessariam colligantiam cum bonitate sua.

[25] Ad primum argumentum alterius partis, quod uidetur probare
 quod uoluntas non sit libera, potest responderi quod uoluntas non 265
 est potentia distincta ab intellectu secundum aliquid absolutum, set
 eadem natura absoluta est qua intelligimus et uolumus, ita quod isti
 duo actus sunt ab eadem natura absoluta ordine quodam, et sic illa
 natura que est uoluntas est cognoscens, et per consequens libera.
 Secunda ratio bene probat quod intellectus est per prius et 270
 principalius liber quam uoluntas, et hoc concedimus. Tertia similiter
 idem probat. Quarta uero, que uidetur probare quod ambe potentie
 equaliter sint libere, non concludit, quia quanuis intellectus et
 uoluntas essentialiter pertineant ad liberum arbitrium et in
 diffinitione eius ponantur, non oportet tamen quod equales sint et 275
 equaliter libere, quia partes diffinitionis et diffiniti non oportet quod
 sint eiusdem gradus et eiusdem perfectionis in his que pertinent ad
 diffinitum. Et sic est in proposito.

QUESTIO QVARTA

VTRVM RATIO SVPERIOR ET INFERIOR SVNT VNA POTENTIA AN DVE

[1] Secundo principaliter queritur utrum ratio superior et inferior sint
 una potentia an due. Et uidetur quod sint due, quia *regulans et*
regulatum differunt realiter; set ratio superior regit et mouet 5
 π173ra inferiorem; ergo etc. |

4 Et ... 6 etc] Thom., *Super Sent.*, II, 24, 2, 2, arg. 4 (604); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 24, 3, 2, arg. 3 (206b); Aeg. Rom., *Ord.*, II, 24, pars 1, 2, 1, arg. 4 (255aC-D)

[2] Item *si non differunt nisi* quia *ratio superior intendit* eternis, *inferior uero temporalibus*, per eandem rationem posset *distingui oculus superior, inquantum respicit superiora, et oculus inferior, inquantum respicit inferiora*; set hoc non dicitur; ergo nec illud.

[3] In contrarium est quod dicit AVGVSTINVS in litera, *quod cum de natura mentis humane differimus, de una quadam re disserimus, neque eam in superiorem, neque inferiorem rationis partem nisi per officia geminamus*.

[4] Responso. Videndum est primo quid sit ratio superior et inferior, quia per hoc patebit quod queritur. Ratio autem, ut dictum est in precedente questione, nominat potentiam discursiuam a principiis ad conclusiones. Principia autem ex quibus discurrit ratio speculatiua uel practica uel sunt accepta naturaliter, sicut in speculabilibus de quolibet esse uel non esse et omne totum est maius sua parte et in practicis, quia nihil inhonestum est faciendum, uel sunt accepta ex reuelatione, puta quod Deus est trinus in personis et unus in essentia et sic de aliis articulis quoad speculabilia et similiter quoad operabilia, puta quod nihil est committendum quo uita eterna amittatur. Et quia altiora et digniora sunt que per reuelationem habentur quam que naturaliter cognoscuntur, ideo ratio deducens aliquid ex principiis per reuelationem habitis uocatur ‘superior’, deducens uero practice uel speculatiue aliquid ex principiis naturaliter cognitis uocatur ‘ratio inferior’. Et sic ratio tam inferior quam superior includit tam speculatiuum quam practicum. Vnde AVGVSTINVS *dicit quod ratio superior est que intendit eternis conspiciendis* quoad speculationem, *uel consulendis* quoad

7 si ... 10 illud] Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 24, 3, 2, arg. 4 (206b); cf. etiam Bonau., *Super Sent.*, II, 24, 1, 2, 2, arg. 5 (563b)

11 dicit ... 14 geminamus] Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 24, 3, 2, sed contra 1 (206b-207a)

Augustinus ... 14 geminamus] Aug., *De Trin.*, XII, 4, n.4 (358,1-3); ap. Lomb., *Sent.*, II, 24, 5, n.5 (454,25-27); cf. etiam Thom., *Super Sent.*, II, 24, 2, 2, sed contra 1 (605); *De uerit.*, 15, 2, sed contra 1 (484,131-134); Bonau., *Super Sent.*, II, 24, 1, 2, 2, sed contra 1 (563b); Rich. de Mediau., *Super Sent.*, II, 24, 2, 4, sed contra 1 (304a); Alb., *Super Sent.*, II, 24, F, 11, sed contra 2 (409a)

30 Vnde ... 33 rebus] Thom., *S.th.*, I, 79, 9, resp.; cf. etiam *Super Sent.*, II, 24, 2, 2, sol. (606); Aeg. Rom., *Ord.*, II, 24, pars 1, 2, 1, resp. (255bB); Guill. Petr. de God., *Lect. Thom.*, II, 24, 2 (G44vb)

31 ratio ... 33 operationem] Aug., *De Trin.*, XII, 7, n.12 (367,105); ap. Lomb., *Sent.*, II, 24, 5, n.5 (454,22)

operationem, *inferior uero que intendit temporalibus rebus*,
 communiis tamen utimur eis prout pertinent ad praxim siue ad
 operationem, quia hec distinctio principaliter introducta est ad
 inquirendum qualiter peccatum et processus peccati consummetur in
 nobis. 35

[5] Ex hoc patet quod ratio superior et inferior non sunt diuerse
 potentie anime, quia illa potentia cuius obiectum formale est ens
 secundum rationem entis non plurificatur secundum plurificationem
 specialium entium, sicut potentia uisua, cuius obiectum formale est
 color, non plurificatur secundum plurificationem specialium
 colorum; set intellectus habet pro formali obiecto et adequato ens
 secundum communem rationem entis, ut patet ex III De
 anima et per AVICENNAM, qui dicit quod qui non intelligit ens,
 nihil intelligit; ergo potentia intellectiua non distinguitur in diuersas
 potentias per hoc quod intendit eternis conspiciendis uel consulendis
 seu temporalibus disponendis; nulla autem potentia preter
 intellectum potest predictis intendere, ergo etc. Et confirmatur, quia
 deducere conclusionem aliquam ex principiis necessariis uel ex
 principiis contingentibus non uariat potentiam, set habitus, quia
 unum pertinet ad scientiam, aliud uero ad opinionem; ergo similiter
 procedere ex principiis naturaliter cognitis uel per reuelationem
 habitis non uariat potentiam, quanuis posset uariare habitum, quia
 unum pertinet ad sapientiam, reliquum uero ad scientiam, prout de
 sapientia et scientia loquitur AVGVSTINVS. 50 55

[6] Ad primum argumentum dicendum quod ratio superior regit
 inferiorem non quidem ut potentia potentiam, set per actum
 superioris rationis considerantis altiorem finem regitur et dirigitur
 actus inferioris rationis accedentis ad finem sub fine. 60

[7] Ad secundum dicendum quod *oculus materialis per aspectum
 superiorum non regitur* respectu inferioris, *sicut oculus intellectualis*,
 nec in aspectu superioris et inferioris est aliqua differentia quoad
 actum uel modum actus, ut sic possit aliquis gradus ibi inueniri in
 ratione superiori et inferiori. 65

33 inferior ... rebus] Aug., *De Trin.*, XII, 14, n.22 (375,6-7); ap. Lomb., *Sent.*, II, 24, 5, n.5 (454,25)

43 intellectus ... 44 entis] cf. *Auct. Ar.*, 6, 144 (186,42)

45 qui² ... 46 intelligit] cf. Avic., *Metaph.*, I, 5 (31-42)

62 superiorum] *coni.*: superiorem π

SENTENTIA SECVNDA PARTIS XXIV DISTINCTIONIS IN GENERALI ET
SPECIALI

[1] *Illud quoque pretermittendum est.* Superius determinauit MAGISTER de potentiis anime. Hic determinat quomodo in eis habet esse
5 peccatum. Et diuiditur in tres. Primo determinat suum intentum. Secundo determinat causam sue digressionis seu determinationis. Tertio remouet quoddam dubium. Secunda ibi: *Hoc autem de anime partibus.* Tertia ibi: *Non est autem silentio pretermittendum.* Prima | π173rb in
10 duas. Primo ponit quandam similitudinem progressionis peccati in nobis et in primo parente inducens similitudinem de peccato primorum parentum quoad uirum et mulierem et serpentem. Secundo uero ostendit quomodo in primis parentibus habuit esse peccatum. Secunda ibi: *Nunc superest ostendere.* Prima in duas. Primo ostendit suum intentum. Secundo confirmat quod dixerat per
15 autoritates. Secunda ibi: *Vnde Augustinus.* Hec est sententia et diuisio lectionis in generali.

[2] In speciali sic procedit et proponit quod sicut in primo peccato serpens mulieri persuasit et mulier uiro, ita in nobis sensualitas suggerit inferiori parti rationis et inferior superiori, inferior autem et
20 superior se habent sicut mulier et uir, quia sicut mulier producta fuit de uiro et sola in adiutorium data et una cum ipso in carne, ita inferior portio a superiori deducta est et data ei in adiutorium. Et est unum cum ipsa in una mentis natura. Postea dicit quod si in sensualitate solum sit motus, ueniale peccatum est, si uero ad partem
25 rationis superioris perueniat, est mortale peccatum, si autem in inferiori ratione consistit, aliquando ueniale est, si non diu in cogitatione manet, aliquando mortale, si diu in cogitatione manet et delectio placet. Et subdit quod sunt quedam que, si semel fiunt, sunt mortalia, quedam sunt que, si fiant semel, sunt uenialia, si autem
30 pluries, sunt mortalia. Postea probat hec omnia per autoritates AVGVSTINI in quibus aliquando uidetur dicere quod cogitatio sine opere sit mortale, aliquando quod sit ueniale, quia dicit quod ratio inferior in aliquo similis et in aliquo dissimilis est mulieri, quia mulier sola poterat peccare perfecte, non sic autem inferior ratio.

Vnde secundo dicit quod pro sola cogitatione uenia petenda est, sicut 35
 et pro aliis peccatis. Postea dicit quod ideo de partibus anime
 determinat, ut cognoscatur liberum arbitrium. Et quomodo in eo
 potest esse peccatum. Vltimo dicit quod large sumendo inferior ratio
 potest dici sensualitas. Et in hoc determinatur etc.

QVESTIO QVINTA

VTRVM ALIQVOD PECCATVM MORTALE POSSIT ESSE IN SENSVALITATE

[1] Circa distinctionem istam queritur de duobus. Primum est utrum
 aliquod peccatum mortale possit esse in sensualitate. Secundum est
 utrum morosa delectatio quam quis habet cogitando de peccato 5
 mortali sit peccatum mortale. Ad primum sic proceditur. Et uidetur
 quod peccatum mortale possit esse in sensualitate, quia *opposita* nata
 sunt *feri circa idem*; set uirtus, que opponitur uitio, habet esse in
 sensualitate, ut temperantia et fortitudo, sicut apparet ex III
 E t h i c o r u m ; ergo in sensualitate potest esse peccatum mortale eis 10
 oppositum.

[2] Item *actus cognoscitur ex obiecto; set circa obiecta sensualitatis
 contingit peccare mortaliter, sicut circa delectabilia carnis; ergo actus
 sensualitatis potest esse peccatum mortale.*

[3] In contrarium arguitur quia uirtus et uitium sunt in his que 15
 sunt propria homini, cum non inueniantur in brutis; set quod est
 proprium hominis supra bruta pertinet ad rationem et non ad
 sensualitatem; ergo etc.

[4] Item AVGVSTINVS dicit C o n t r a F a u s t u m , quod
peccatum est dictum uel factum uel concupitum contra legem eternam; 20
 set attendere ad legem eternam pertinet solum ad rationem
 superiorem; ergo solum in ratione superiori potest esse peccatum.

6 Et ... 11 oppositum] cf. Thom., *S.th.*, I-II, 74, 4, arg. 2

7 opposita ... 8 idem] *Auct. Ar.*, 31, 15 (302,83)

9 III Ethicorum] Arist., *Eth. Nic.*, III, 10, 1117b23

12 actus ... 14 mortale] Thom., *S.th.*, I-II, 74, 4, arg. 1

19 Augustinus ... 20 eternam] Aug., *Contra Faust.*, XXII, 27 (621,12-13); ap. Lomb., *Sent.*, II, 35, 1 (529,8-9)

[5] Responso. Circa questionem istam sunt duo preintelligenda. Primum est quid uocatur sensualitas. Secundum est quid uocatur
25 peccatum mortale et quid ueniale.

[6] Quantum ad primum sciendum est quod sicut liberum arbitrium non nominat aliquam potentiam absolute, set potentiam sub proprietate, ut dictum fuit prius, sic sensualitas non nominat aliquam potentiam absolute, set nominat proprietatem potentie uel
30 potentiam sub proprietate. Cum enim appetitus sensituius propter sui corruptionem non plene subiiciatur rationi, set plerunque deliberationem rationis preueniat, et iterum motus eius deliberationem sequentes plene subiiciuntur imperio rationis, propter quod respectu horum potest esse uirtus et uitium, que sine electione
35 non sunt, *sensualitas nominat appetitum | sensituium non absolute, set* *π173va*
secundum quod depressus non expectans in motu suo deliberatione rationis, set eam preueniens. Et ideo dicitur esse perpetue corruptionis.

[7] Quantum ad secundum aduertendum est quod omne peccatum est deuiatio ab aliqua lege naturali uel diuina uel
40 quacunquē alia lege recte posita. Et quia omnis lex habet uim coactiuam per penas (alioquin frustra ferrentur leges, si eas liceret impune transgredi), ideo secundum unamquaque legem peccatum dicitur mortale, quod pena mortis damnatur, ueniale uero dicitur quod leuiori pena punitur. Vnde AVGVSTINVS H O M E L I A 7
45 S U P E R I O A N N E M dicit quod crimen est quod damnationem meretur, crimen uocans peccatum mortale, ueniale autem, ut dicit, est quod non meretur damnationem. Licet autem proprie mors sit priuatio uite corporalis, tamen per quandam similitudinem priuari finaliter uisione diuina et incurrere penam gehenne mors dicitur,
50 sicut et ipsa uisio dicitur uita, I o h . 17. *Hec est, inquit, uita eterna ut cognoscant te solum uerum Deum*, etc., unusquisque autem uitam suam dicit in eo consistere in quo delectatur. Et ideo propter summam delectationem, que est in uisione diuina, in ipsa dicitur

34 sine ... non] cf. Arist., *Eth. Nic.*, II, 5, 1106a3-4

35 sensualitas ... 37 corruptionis] Thom., *Super Sent.*, II, 24, 2, 1, ad 3 (603)

40 omnis ... coactiuam] cf. Arist., *Eth. Nic.*, X, 9, 1180a21

44 Augustinus ... 47 damnationem] ap. Thom., *De malo*, 7, 1, sed contra 2 (157,191-193); etiam ap. *S.th.*, I-II, 88,1, sed contra; ex Aug., *In Ioh. Eu.*, 41, 9 (362,22-23)

50 Ioh ... 51 Deum] *Ioh.*, 17,3

51 unusquisque ... 52 delectatur] cf. Thom., *S.th.*, II-II, 179, 1, resp.; Arist., *Eth. Nic.*, IX, 12, 1172a5-6

consistere uita nostra, et in eius priuatione cum afflictione gehenne mors. Sic ergo quoad theologos, quorum est considerare opera 55 humana, quatenus regulantur lege diuina, peccatum mortale dicitur quo quis meretur finaliter priuari uisione diuina, ueniale uero quod non meretur hanc penam.

[8] Hoc supposito dicendum est primo quod in sensualitate nullum potest esse peccatum secundum se, nec ueniale nec mortale, 60 set est solum in ea peccatum ueniale tantum ex negligentia rationis. Secundum est quod in ratione inferiori nunquam potest esse peccatum mortale, nisi ex consensu uel negligentia rationis superioris. Primum patet, quia ibi primo inuenitur ratio peccati ubi inuenitur dominium uoluntatis (loquimur enim nunc de peccato in moribus, 65 genus autem moris primo incipit ubi dominium uoluntatis reperitur, secundum quod aliquid imputatur nobis ad culpam, uel meritum); set uoluntas non habet dominium super motus sensualitatis nisi quia a ratione preueniri poterant (non enim potest ferri imperium uoluntatis nisi ubi potest preueniri iudicium rationis); ergo motus 70 sensualitatis nullum est peccatum secundum se, set solum ex negligentia rationis uel uoluntatis non preuenientis. Tale autem solum potest esse ueniale peccatum et leuissimum, quia ubi non potest esse completum uoluntatis dominium ibi non potest esse perfectum peccatum; set respectu motuum sensualitatis uoluntas non 75 potest habere completum dominium; quare etc. Minor probatur, quia *uoluntas solum habet completum dominium in illis actibus qui ex imperio uoluntatis procedunt, et hi sunt actus deliberationem sequentes*, qui nullo modo sunt actus sensualitatis, que est *perpetue corruptionis*, ut dictum est, licet possit esse actus appetitus sensitiui prout natus est 80 obedire rationi. *Incompletum autem dominium habet uoluntas illis actibus qui non per imperium rationis aut uoluntatis procedunt, set tamen uoluntas eos impedire poterat*, si ratio in preueniendo eos peruigil fuisset. Et hi dicuntur motus sensualitatis qui ideo peccata sunt, quia quodlibet eorum preueniendo impedire possumus, non 85 autem omnes simul, quia dum uni obuiare nitimur, ex altera parte

56 peccatum ... 57 diuina] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 16, 4, 1, 3, arg. 4 (809)

62 Secundum ... 63 superioris] cf. Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 24, 4, 2, ad 2 q. (210a)

66 genus ... reperitur] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 24, 3, 2, sol. (620)

72 Tale ... 83 poterat] Thom., *Super Sent.*, II, 24, 3, 2, sol. (620); cf. etiam Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 24, 4, 1, resp. ad 1 q. (208b)

79 sensualitatis ... corruptionis] Thom., *Super Sent.*, II, 24, 3, 2, arg. 3 (619)

potest insurgere motus illicitus, quia non potest ratio simul et actu semper esse intenta ad remittendum omnibus que insurgere possunt. Et sic patet primum.

90 [9] Secundum sic patet: non meretur quis penam legis nisi per peccatum commissionis siue commissum in legem, R o m . 2 : Qui *in lege peccauerunt per legem iudicabuntur*; set mors eterna, que est carentia uisionis diuine et pena gehenne, est pena solius legis eterne uel fidei per reuelationem habite; pena enim legis non excedit
95 cognitionem legis, de beatitudine autem uel gehenna nulla lex cognitionem tradit nisi lex fidei; ergo nullus peccando meretur mortem gehenne, nisi quatenus peccat contra legem eternam uel legem fidei, set omne tale peccatum contingit ex consensu uel negligentia rationis superioris, cuius solius est attendere ad legem
100 fidei; ergo etc. Et confirmatur, quia lex non solum attendit penas ad coercendum malos, set etiam premia ad conuocandum bonos; set nullus bene agens meretur uitam eternam nisi directus a lege fidei; ergo nullus quantumcunque male agens meretur mortem eternam, | *π173vb*
que est mors gehenne, nisi sub lege fidei: uoco autem esse sub lege
105 fidei non solum assensu, sicut est in his qui credunt, set obligatione, quomodo omnes sub lege fidei, etiam Iudei et Gentiles; nec excusatur quis si non credit ex quo predicationem fidei audiuit uel audire potuit, et contempsit; nullus enim est qui, si fecerit quod in se est, quin Deus ei reuelet ea que sunt fidei, sine quibus non est salus, uel
110 per seipsum aspiciendo uel per humanum mysterium exterius docendo.

[10] Ad primum argumentum dicendum quod uirtus non habet esse in sensualitate, stricte accipiendo sensualitatem, ut supra dictum est, quia uirtus non est sine electione, ut dicitur I I E t h i c o r u m ,
115 motus autem sensualitatis sunt illi qui preueniunt electionem et deliberationem rationis. Vnde temperantia et fortitudo, licet sint in appetitu sensitio ut obedit rationi, non tamen sunt in sensualitate proprie loquendo. Et per eandem rationem nec uitium secundum

91 Rom ... 92 iudicabuntur] *Rom.*, 2,12

114 uirtus ... Ethicorum] cf. Thom., *S.th.*, I-II, 74, 4, ad 2; fortasse ex Arist., *Eth. Nic.*, III, 2, 111b4-6

90 Secundum ... 92 iudicabuntur] In III [sc. libro] distinctione 14 questione 1. Et in IV [sc. libro] distinctione 33 questione 2. *i.m. add. π 104 esse] scr.: dub. π 106 nec ... 108 contempsit] In III [sc. libro] distinctione 25 questione 1. *i.m. add. π**

completam rationem peccati, quod est peccatum mortale, set solum
peccatum ueniale ex negligentia rationis non preuenientis. 120

[11] Ad secundum dicendum quod illud quod ex genere suo est
peccatum mortale efficitur ueniale propter imperfectionem actus
mortalis, ut magis patebit inferius. Et ideo, licet circa obiecta
sensualitatis contingat peccare mortaliter ex genere actus, tamen
motus sensualitatis in hoc non potest esse peccatum mortale propter 125
suam imperfectionem, quia deliberationem preuenit.

[12] Ad primum argumentum alterius partis dicendum quod illud
quod est nobis proprium pertinet ad rationem essentialiter uel
participatiue; appetitus autem sensituius in nobis, licet non pertineat
ad rationem essentialiter, tamen participat aliqualiter de ratione 130
inquantum est natus obedire rationi. Et hoc modo potest esse
subiectum uirtutis et uitii.

[13] Ad aliud dicendum quod AVGVSTINVS diffiniuit peccatum
mortale solum quod nunquam committitur nisi ex consensu uel
negligentia rationis superioris, ut deductum est. 135

QUESTIO SEXTA

VTRVM MOROSA DELECTATIO QVAM QVIS HABET COGITANDO DE PECCATO MORTALI SIT PECCATVM MORTALE

[1] Postea queritur utrum morosa delectatio quam quis habet
cogitando de peccato mortali sit peccatum mortale. Et uidetur quod 5
non, quia secundum PHILOSOPHV M X E t h i c o r u m *delectationes
differunt in bonitate et malitia secundum differentiam operationum;*
sicut igitur se habet cogitatio interior ad actum exteriorem, sic
delectatio consequens actum interioris cogitationis ad delectationem
consequentem actum exteriorem; set cogitatio interior non est peccatum 10

123 ut ... inferius] cf. infra, II, 42, 6 (203ra-b)

129 appetitus ... 131 rationi] cf. Aeg. Rom., *Ord.*, II, 24, pars 2, 1, 2, ad 2 (275bC)

6 secundum ... 12 mortale] Thom., *S.th.*, I-II, 74, 8, arg. 3; cf. etiam *De uerit.*, 15, 4, arg. 8
(493,77-494,88)

Philosophum ... Ethicorum] Arist., *Eth. Nic.*, X, 5, 1175b26

135 ut ... est] Infra distinctione 42 questione 6 numero II. *i.m. add. π*

mortale, quanuis opus exterius sit peccatum mortale; ergo delectatio consequens solam cogitationem nunquam est peccatum mortale.

[2] Item *actus exterior fornicationis non est peccatum mortale ratione delectationis*, cum etiam sit *in actu* matrimonii, *set ratione* 15 *deordinationis; set qui consentit in delectationem non oportet quod consentiat in deordinationem; per actum enim anime separantur que sunt coniuncta in re; ergo etc.*

[3] In contrarium est quod dicit AVGVSTINVS XII De Trinitate et habetur in litera quod *totus homo damnabitur nisi* 20 *hec que sine uoluntate operandi, set tamen cum uoluntate talibus animam* obiectandi *soliis cogitationis sentiuntur esse peccata per mediatoris gratiam remittantur; set nullus damnatur nisi pro peccato mortali; ergo etc.*

[4] Responso. Cum delectatio uoluntatis sequatur 25 apprehensionem rationis, sicut est duplex apprehensio, simplex et reflexa (simplex que est in obiectum solum ut cum aliquis cogitat de fornicatione reflexa, que est in actu ut cum aliquis cogitat se cogitare de fornicatione), sic est duplex delectatio consequens hos duos actus.

[5] Dicendum ergo quod morosa delectatio sequens simplicem 30 actum cogitationis de fornicatione uel alio peccato mortali semper est peccatum mortale. Cuius ratio est quia omnis complacentia uoluntatis deliberatiua in aliquod peccatum mortale est peccatum mortale; set morosa delectatio sequens actum simplicem cogitationis de for- | -nicatione est huiusmodi; est etiam complacentia 35 deliberatiua, cum sit morosa; uoco enim nunc delectationem morosam que supponit deliberationem directe uel interpretatiue. Est etiam complacentia in actum peccati mortalis, quia in illud solum fertur uoluntas per dilectionem quod apprehensum est per rationem; set per actum simplicem cogitationis de fornicatione nihil 40 apprehenditur nisi fornicatio et non cogitatio de fornicatione, quia non esset actus simplex, set reflexus; ergo uoluntas sequens talem actum simplicem fertur solum per complacentiam in peccatum mortale, et sic peccat mortaliter. Delectatio uero sequens actum

13 Item ... 17 etc] Thom., *S.th.*, I-II, 74, 8, arg. 4; Iac. Met., *Super Sent.*, II, 24 (T95va; Vb67va)

18 In ... 23 etc] Thom., *S.th.*, I-II, 74, 8, sed contra; *De uerit.*, 15, 4, sed contra 1 (494,141-148); Iac. Met., *Super Sent.*, II, 24 (T96ra; Vb67vb)

Augustinus ... 22 remittantur] Aug., *De Trin.*, XII, 12, n.8 (373,53-55)

19 litera] Lomb., *Sent.*, II, 24, 12, n.4 (459,11-13)

reflexum potest esse de duobus, sicut et cognitio, scilicet de principali
obiecto, puta de fornicatione, et de secundario, scilicet de cogitatione; 45
hec enim duo se habent obiectiue ad actum reflexum, scilicet cum
aliquis cogitat se cogitare de fornicatione. Et si quidem sit delectatio
de principali obiecto, erit peccatum mortale per rationem que facta
est. Si uero sit de obiecto secundario, scilicet de cogitatione, sic non
oportet quod semper sit peccatum mortale, set quandoque ueniale, ut 50
cum quis sola curiositate cogitat talia, et de cogitatione delectatur.
Quandoque uero nullum est peccatum, set est meritum, ut cum quis
utiliter de talibus cogitat, uolens predicare aut disputare; talis enim
delectatur non de peccato, set de rationibus excogitatis circa
peccatum. 55

[6] Ad primum argumentum patet; procedit enim de delectatione
que sequitur actum reflexum ratione obiecti secundarii, et illam non
oportet esse peccatum mortale, ut dictum est.

[7] Ad secundum dicendum quod delectatio sequens cogitationem
simplicem de fornicatione est complacentia uoluntatis in actum 60
fornicationis, etiam si non statuatur implendum propter aliquam
aliam causam prohibentem. Et quia actus inordinatus est, ideo
complacentia in ipsum est deordinata. Quod autem dicitur quod illa
que sunt coniuncta in re possunt separari mente, uerum est, ut
cognoscantur, set non ut habeantur, et quia uoluntas fertur in rem ut 65
habeatur in se, ideo fertur per consequens in omnia illa que sunt rei
coniuncta secundum esse.

SENTENTIA HVIVS DISTINCTIONIS XXVI IN GENERALI ET SPECIALI

[I] *Hec est gratia cooperans*. Superius determinauit MAGISTER de libero
arbitrio secundum propriam sui rationem. Hic determinat de eo per
comparationem ad gratiam. Et diuiditur in duas. Primo determinat

47 Et ... 55 peccatum] cf. Thom., *S.th.*, I-II, 74, 8, resp.; Ioh. Paris., *Super Sent.*, II, 24, 2
(168,13-18)

59 delectatio ... 62 prohibentem] cf. Thom., *S.th.*, I-II, 74, 8, ad 4

2 Hec ... cooperans] Lomb., *Sent.*, II, 26, 1 (470,3)

62 Et ... 63 deordinata] supra distinctione 5 questione 1 numero 9. *i.m. add. π*

5 de effectu gratie in libero arbitrio. Secundo determinat de insufficientia liberi arbitrii sine gratia. In principio 28 ibi : *Illud uero inconcusse* etc. Prima diuiditur in duas. Primo agit de gratia quantum ad potestatem eius in libero arbitrio. Secundo mouet questionem de gratia an sit uirtus et determinat. Secunda 27 distinctionis ibi : *Si uero queritur quomodo*. Prima est principalis lectionis et diuiditur in duas. Primo determinat ueritatem. Secundo mouet et soluit quasdam questiones incidentes. Secunda ibi : *Non est tamen ignorandum*. Prima diuiditur in duas. Primo ostendit quod gratia uoluntatem hominis preparat et adiuuat. Secundo ostendit que est illa gratia que preparat. 15 Secunda ibi : *Et si diligenter intendas*. Secunda uero pars principalis diuiditur in duas. Primo mouet dubitationes de prima gratia. Secundo de gratia cooperante ibi : *Hic considerandum est*. Prima diuiditur in duas. Primo determinat de ordine uoluntatis ad fidem. Secundo de ordine cogitationis ibi : *Circa hanc questionem*. Hec est 20 diuisio lectionis et sententia in generali.

[2] In speciali sic procedit MAGISTER et proponit primo differentiam inter gratiam operantem et cooperantem, quia gratia operans preparat hominis uoluntatem ut uelit bonum, gratia uero cooperans adiuuat ut uelit hoc cum effectu. Et probat hoc per 25 auctoritates concludens intentum et repetens quod dictum est. Postea ponit circa hoc errorem IULIANI, qui dicit quod homo poterat bonum uelle et operari ex libero arbitrio, quod improbat AVGVSTINVS per auctoritatem APOSTOLI dicentis quod bene uelle et operari est misericordia Dei, que est idem quod gratia; unde uoluntas nostra 30 nihil recte potest facere per se, nisi per diuinam gratiam adiuuetur, que gratia Dei preparat hominis uoluntatem ut sit bona et recta, que ante aduentum gratie non erat. Et ad predictorum declarationem diffinit ipsam uoluntatem secundum AVGVSTINVM, uoluntas est animi motus cogente nullo ad aliquid non admittendum uel adipiscendum. 35 Et per APOSTOLVM probat duplicem gratiam, secundum quam Deus preparat hominis uoluntatem. Ponit etiam opiniones quorundam qui dicebant, quod sicut sine misericordia Dei nihil potest agi, ita etiam si uoluntas prius non sit Dei misericordia non sufficit. Quam etiam opinionem improbat concludendo principale intentum. Respondet 40 etiam qualiter se habet uoluntas ad gratiam, quia sicut ignobilius; quod probat per AVGVSTINVM et aptat ad propositum. Postea dicit in generali et speciali que sit ista gratia que preparat hominis uoluntatem. Et dicit quod hec est fides, quod probat per APOSTOLVM

in pluribus locis. Et adaptat ad propositum, probans hoc idem per
 AVGVSTINVM, et dat ad hoc quoddam motiuum propter quod 45
 auctoritates inducit. Et est tale: bona hominis uoluntas preuenitur
 quoddam beneficio gratie, illud autem beneficium est fides, ergo fides
 Christi est gratia, que preparat hominis uoluntatem, et probat, et
 adaptat ad propositum. Et quia dixerat quod gratia preuenit
 uoluntatem, ostendit etiam quod uoluntas preuenit quedam dona 50
 gratie, quod probat per AVGVSTINVM. Et probat etiam per alias
 auctoritates quod gratia preuenit uoluntatem et quod subsequatur. Et
 adaptat ad propositum. Postea mouet dubitationem circa predicta
 secundum APOSTOLVM et AVGVSTINVM, qui uidentur dicere quod
 fides proueniat ex uoluntate, et sic uoluntas precedit fidem, similiter 55
π175va credere est ex uoluntate, | set uoluntas precedit credere, ergo fidem
 cum credere fit ex fide. Et soluit dicens quod hoc ideo est, non quia
 fides ex uoluntate hominis proueniat, set quia non est fides nisi in eo
 quia uult credere. Cuius bonam uoluntatem fides preuenit, non
 tempore, set causa et natura. Quod confirmat per AVGVSTINVM. 60
 Postea magis corroborat predictam questionem per AVGVSTINVM
 exponendo uerba APOSTOLI, quibus uidetur innuere quod cogitatio
 precedit fidem et quod cogitatio est idem quod uoluntas. Item nullus
 credit quod prius non cogitauerit, ergo cogitare precedit credere et
 similiter uoluntas fidem. Et soluit ostendens duplicem esse 65
 cogitationem, naturalem scilicet et gratuitam. Et hoc confirmat per
 AVGVSTINVM. Per hanc autem distinctionem docet MAGISTER
 reducere omnes auctoritates AVGVSTINI ad concordiam. Addit autem
 quod per gratiam preuenientem precedit in homine quedam bona ex
 gratia Dei et libero arbitrio, quedam uero ex libero arbitrio, et per 70
 talia non fit homo in gratia. Ostendit etiam quod hec gratuita dona
 que ex gratia Dei et libero arbitrio proueniunt non cadunt sub
 merito, ut quando de impio uel iniusto fit pius et iustus, quia nulla
 merita in ipso precesserunt. Postea mouet quandam dubitationem de
 gratia operante et cooperante, utrum scilicet sit una gratia an diuerse. 75
 Respondet quod est una et eadem gratia et idem donum, set propter
 diuersos effectus dicitur operans et cooperans. Et in hoc terminatur
 sententia lectionis etc.

QVESTIO PRIMA

VTRVM GRATIA ET VIRTVS SINT IDEM

[1] Circa distinctionem istam queritur de tribus. Primum est utrum gratia et uirtus sint idem an differant realiter. Secundum est in quo
 5 tanquam in subiecto sit gratia, utrum uidelicet sit in essentia anime an in aliqua eius potentia. Tertium est utrum diuisio gratie per operantem et cooperantem sit bona. Ad primum sic proceditur. Et arguitur quod gratia et charitas non sint idem, quia illa non sunt idem quorum non sunt iidem actus; set uirtutis et gratie non est
 10 idem actus, quia *gratia habet actum continuum in anima, scilicet* gratificare animam, *uirtus* uero habet *actum interpolatum*, scilicet opus meritorium; ergo etc.

[2] Item quorum differentie diuisiue differunt, et ipsa differunt; set differentie uirtutum et gratie differunt, quia uirtus diuiditur in
 15 morales, intellectuales et theologicas, gratia uero in operantem et cooperantem; ergo etc.

[3] In contrarium est quia quorum est eadem diffinitio, scilicet illa que ponitur in litera, quod est *qualitas bona mentis*, ergo etc.

[4] Responsio. QUIDAM dicunt quod gratia et uirtus differunt per
 20 essentiam. Quod probant sic: in omnibus principium essendi differt realiter a principio operandi, sicut uidemus in naturalibus quod forma substantialis ignis, per quam habet esse, differt realiter a calore, per quem habet agere; set gratia est principium essendi supernaturaliter, uirtus autem est principium operandi
 25 supernaturaliter; ergo etc. Maior patet. Set minor probatur, quia ad hoc quod aliquid operetur opera alicuius generis oportet quod prius

10 gratia ... 12 meritorium] Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 27, 1, 1, sed contra 1 (233b); cf. etiam Rich. de Mediau., *Super Sent.*, II, 26, 1, 1, arg. 5 (338b); Bonau., *Super Sent.*, II, 27, 1, 2, sed contra 3 (656b)

13 Item ... 16 etc] cf. Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 27, 1, 1, sed contra 3 (233b)

17 In ... 18 etc] cf. Thom., *S.th.*, I-II, 110, 3, arg. 2; Ioh. Paris., *Super Sent.*, II, 27, 1, arg. 2 (182,5-7); Alb., *Super Sent.*, II, 26, L, 11, arg. 2 (465b); Duns Scot., *Report.*, II, 27, q. unic., sed contra (134a)

18 qualitas ... mentis] Lomb., *Sent.*, II, 27, 1, n.1 (480,8-9); ex Aug., *Enarr. in Ps.*, 118, 26, 1 (1753,30); cf. etiam Heru. Nat., *Super Sent.*, II, 21, 1, sed contra (269bA)

19 Quidam] cf. e.g. Thom., *Super Sent.*, II, 26, 1, 4, sol. (678); Guill. Petr. de God., *Lect. Thom.*, II, 26, 3 (G45vb)

20 in ... 25 etc] cf. Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 27, 1, 1, resp. (234a)

25 Maior ... 30 etc] cf. Ioh. Paris., *Super Sent.*, II, 27, 1, resp. (183,25-31); cf. etiam Heru. Nat., *Super Sent.*, II, 21, 1, resp. (269bB-C)

constituatur in esse illius generis; ad hoc igitur ut aliquis operetur opera supernaturalia per uirtutes theologicas oportet quod prius constituatur in esse supernaturali, quod fit per gratiam, que est quedam participatio esse diuini; ergo etc. 30

[5] Hec autem opinio deficit in duobus, scilicet in se et in sua ratione; in se, quia destructo principio essendi destruitur principium operandi; si ergo gratia esset principium essendi in esse supernaturali et uirtutes theologice principium operandi supernaturaliter, tunc destructa gratia destruerentur omnes uirtutes theologice, quod falsum 35 est, quia destructa gratia manent fides et spes. Deficit etiam in sua ratione; quod enim principium essendi differat a principio operandi forte uerum est de primo principio essendi, quod dat esse substantiale, ut satis patet in exemplo adducto; set de principio essendi secundario, quod dat esse accidentale, non potest esse uerum; 40 calor enim, qui dat esse accidentale igni, est ei immediatum principium agendi. Et ita, cum gratia det esse accidentale et non substantiale, nihil prohibet eam esse immediatum principium ope- |
-randi, immo uidetur quod econtrario sit arguendum sic, sicut se habent uirtutes morales ad esse morale et opera moralia, sic se habent 45 uirtutes supernaturales ad esse supernaturale et ad opera supernaturalia; set per uirtutes morales constituitur quis in esse morali, et per easdem perficitur ad opera moralia et non per aliud; ergo similiter per uirtutes supernaturales constituitur quis in esse supernaturali, et per easdem perficitur ad opera supernaturalia. 50 Neque est aliud, ut uidetur, per quod homo constituitur in esse supernaturali et per quod operatur supernaturaliter.

[6] Set dicet ALIQUIS quod per uirtutes morales non constituitur homo in esse morali primo, set per principia naturalia, que sunt intellectus et uoluntas, propter quod dicit PHILOSOPHVS I 55 P O L I T I C O R U M quod *homo est animal naturale ciuile*, per uirtutes autem constituitur in esse secundo morali, quod ordinatur immediate ad operationem; et similiter est dicendum de gratia et uirtutibus respectu esse supernaturalis. Set istud non ualet, quia per principia naturalia non constituitur homo in aliquo esse morali actu, 60

53 aliquis] cf. Henr. de Gand., *Quodl.*, IV, 10, sol. (82,191-85,248)

55 Philosophus ... 56 ciuile] *Auct. Ar.*, 15, 3 (252,98); ex Arist., *Polit.*, I, 2, 1253a2-3

aptitudine quadam, quod innuit PHILOSOPHVS II Ethicorum loquens de uirtutibus et dicit: *innatis quidem nobis suscipere eas, perfectis autem per assuetudinem*; set per uirtutes constituitur actu in primo esse morali, et per easdem perficitur ad opera moralia. Et idem
65 est de esse supernaturali, et operibus supernaturalibus.

[7] Dicendum ergo aliter quod supposito quod gratia sit aliquid creatum in anima, quo non supposito questio non haberet locum, oportet quod gratia sit idem realiter cum uirtute non quacunque, set cum charitate, que dat operibus efficaciam merendi. Quod patet
70 dupliciter. Primo, quia que differunt per essentiam possunt uirtute diuina separari, uel saltem primum a posteriori, nisi forte alterum sit pura potentia, qui repugnat per se esse (quod dico propter materiam primam, de qua uisum fuit supra, distinctione 12 questione 2 quod non potest ab omni forma separari); set gratia et charitas nullo modo
75 separari possunt, ita ut sit alterum sine altero, alioquin sequeretur quod idem homo saluaretur et non saluaretur, quia decedens in finali gratia saluaretur, decedens uero sine charitate non saluaretur, quia secundum AVGVSTINVM charitas est uestis que *diuidit inter filios regni, et filios perditionis*, ergo charitas et gratia non differunt per essentiam.

[8] Secundo patet sic: quorum est unus et idem actus non solum concomitatiue, set per essentiam, illa sunt unum essentialiter et non solum per concomitantiam; set gratie et charitatis est unus et idem actus non solum concomitatiue, set per essentiam; ergo etc. Probatio minoris; gratie enim et similiter charitatis, sicut et cuiuslibet forme,
85 est duplex actus: primus que consistit in informatione et denominatione subiecti, et hic est quoad gratiam facere hominem Deo gratum et quoad charitatem Deo facere hominem charum, et manifestum est quod hec sunt unum nec differunt nisi solo nomine; alius est reddere opus meritorium, et in isto similiter conueniunt;
90 quare etc. Item si gratia et charitas differunt, aut gratia preeminet charitati aut econuerso aut sunt equales. Primum non potest dici,

61 Philosophus ... Ethicorum] Arist., *Eth. Nic.*, II, 1, 1103a23; I, 7, 1098a7-18; cf. Aeg. Rom., *Report.*, II, 66 (347,17-19)

66 Dicendum ... 79 essentiam] cf. Duns Scot., *Report.*, II, 27, q. unic., sol. (135a); *Ord.*, II, 27, q. unic., resp. (286,36 sqq.); Heru. Nat., *Super Sent.*, II, 21, 1, arg. 3 (269aD); cf. J. Auer, *Die Entwicklung*, 125-142

73 de ... 2] cf. supra, II, 12, 2 (154rb)

78 Augustinum ... 79 perditionis] Aug., *De Trin.*, XV, 18, n.32 (507,1-2); cf. etiam Lomb., *Coll. in Paul. Epist.*, I Ad Cor., 13,1 (1659A); *Sent.*, I, 17, 4, n.2 (145,15-16)

quia secundum AVGVSTINVM V De Trinitate *charitate nullum donum Dei est excellentius*. Nec secundum, quia sicut se habet perfectibile ad perfectibile, ita perfectio ad perfectionem; set potentia quam perficit charitas non excellit essentiam anime quam secundum 95 istos perficit gratia; ergo etc. Nec tertium, quia perfectiones specie differentes non possunt esse equales; gratia autem et charitas, si non sint idem, differunt specie; ergo etc. Et hoc uidetur sentire APOSTOLVS, qui utrique eosdem actus attribuit, scilicet dare esse spirituale et perficere ad opus meritorium. Nam de charitate dicit I 100 Ad Cor. 13: *Si linguis hominum loquar etc., charitatem autem non habeam, nihil sum*, et quoad opus subdit infra capitulo eodem: *Omnia suffert, omnia sperat* etc., de gratia uero quod det esse spirituale dicit idem APOSTOLVS I Ad Cor. 15: *Gratia Dei sum id quod sum*, et rursum quod perficiat ad opus meritorium subdit: 105 *abundantius omnibus laboraui non ego, set gratia Dei mecum*. Ad idem facit quod ‘charis’ in greco est idem quod ‘gratia’ in latino, unde et ‘acharis’ dicitur quasi ‘sine gratia’.

$\pi 176ra$ [9] Ad primum argumentum dicendum quod gratia | et charitas habent primum actum continuum in subiecto, scilicet facere 110 hominem gratum uel charum, secundum autem actum, scilicet perficere ad opus meritorium, non habent continuum, set interpolatum, nec in hoc differunt gratia et charitas.

[10] Ad aliud patet ex dictis; non enim ponimus quod gratia sit idem cum uirtute dicta absolute, set cum charitate solum. 115

92 Augustinum ... Trinitate] Aug., *De Trin.*, XV, 19, 37 (513,137-138)

100 Nam ... 102 sum] etiam ap. Henr. de Gand., *Quodl.*, IV, 10, sol. (81,156-157)

101 Si ... 102 sum] I *Cor.*, 13,1-2

103 Omnia ... sperat] I *Cor.*, 13,7

104 Gratia ... 105 sum] I *Cor.*, 15,10

106 abundantius ... mecum] I *Cor.*, 15,10

107 charis ... 108 gratia] Papias Vocabul., *Element.*, s.u. Kharis (170b); cf. Rich. deMediau., *Super Sent.*, II, 26, 1, 1, resp. (339b); cf. etiam Henr. de Gand., *Quodl.*, IV, 10, resp. (87,312-317); Guill. de la Mare, *Super Sent.*, II, 27, 2, resp. (362,32-34); Thom. de Sutona, *Quaest. ord.*, 14, ad 8 (420,661)

DISTINCTIO XXVI QVESTIO II

QVESTIO SECVNDA

VTRVM GRATIA SIT IN ESSENTIA ANIME SICVT IN SVBIECTO

[1] Ad secundum sic proceditur. Et uidetur quod gratia sit in essentia anime sicut in subiecto, quia uita respicit primo essentiam; set gratia
5 est uita anime; ergo etc.

[2] Item regeneratio correspondet generationi; set generatio primo et per se terminatur ad essentiam forme, deinde ad potentias; ergo gratia per quam fit regeneratio primo respicit essentiam anime et mediante essentia respicit potentias.

10 [3] Item sicut se habet essentia ad potentias, ita potentie ad operationes; set operatio non gratificatur nisi prius gratificata potentia; ergo nec potentie gratificantur nisi prius gratificata essentia anime.

[4] In contrarium arguitur quia *gratia est donum superadditum*
15 *naturalibus*; set si esset in essentia anime, non esset aliquid superadditum naturalibus, set magis interpositum inter essentiam et potentiam; ergo etc.

[5] Responso. Hec questio dependet a precedente. Qui enim dicunt quod gratia et charitas differunt realiter ponunt quod gratia
20 est subiectiue in essentia anime. Quod probant dupliciter: uno modo quia in illo est gratia sicut in subiecto quod est primo gratum Deo, sicut in illo est albedo sicut in subiecto quod est primo album; set essentia anime est prius grata Deo quam potentia; ergo etc. Probatio minoris, quia, ut dicitur *Gen. 4: respexit Dominus ad Abel et ad*
25 *munera eius*, per quod datur intelligi quod persona que respicit

3 Et ... 5 etc] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 26, 1, 3, sed contra 1 (674); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 26, 1, 3, sed contra 3 (227b); Rich. de Mediau., *Super Sent.*, II, 26, 2, 4, arg. 2 (342a); Aeg. Rom., *Ord.*, II, 26, 1, 3, sed contra 1 (32obD); Bonau., *Super Sent.*, II, 26, art. unic., 5, arg. 5 (641b)

6 Item ... 9 potentias] cf. Thom., *S.th.*, I-II, 110, 4, sed contra

10 Item ... 13 anime] cf. Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 26, 1, 3, sed contra 4 (228a)

14 gratia ... 17 etc] Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 26, q. unic., 4, arg. 3 (227b); cf. etiam Thom., *Super Sent.*, II, 26, 1, 3, arg. 1 (673)

18 Qui ... 19 realiter] cf. e.g. Thom., *De uerit.*, 27, 6, resp. (814,102-109); *Super Sent.*, II, 26, 1, 3, sol. (674); *S.th.*, I-II, 110, 4, resp.

Qui ... 20 anime] cf. Guill. Petr. de God., *Lect. Thom.*, II, 26, 3 (G45vb)

20 uno ... 23 etc] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 26, 1, 3, sol. (674)

24 ut ... 25 eius] *Gen.*, 4,4; ap. Thom., *Super Sent.*, II, 26, 1, 3, sol. (674)

ut ... 26 potentiam] cf. Aeg. Rom., *Ord.*, II, 26, 2, 1, resp. (324bC-D); etiam Duns Scot., *Ord.*, II, 26, q. unica (272,23-25)

essentiam primo est grata Deo quam opera que respiciunt potentiam. Secundo probatur idem sic: habitus qui est in aliqua potentia, solum perficit ad actus illius potentie; set gratia perficit ad actus omnium potentiarum; ergo non est in aliqua potentia, set in eo quod est commune omnibus potentiis et illud est essentia etc. 30

[6] Set istud non uidetur, quia impossibile est quod habitus perficiens essentiam anime habeat maiorem colligantiam cum habitu perficiente uoluntatem quam cum habitu perficiente intellectum; set gratia habet maiorem colligantiam cum charitate, que est habitus perficiens uoluntatem, quam cum fide que perficit intellectum; ergo 35 etc. Maior probatur, quia qualis est habitudo perfectibilium, talis uidetur esse perfectionum. Cum igitur uoluntas non habeat maiorem colligantiam cum essentia anime quam intellectus, imo, ut uidetur, minorem uel saltem non ita immediatam, pari ratione nec habitus uoluntatis potest esse magis colligatus cum habitu perficiente 40 essentiam anime quam habitus intellectus. Minor autem clara est in exemplo posito; sequitur ergo conclusio, scilicet quod gratia non est in essentia anime.

[7] Ad primam rationem EORVM dicendum quod essentia non est prius grata gratitudine supernaturali, de qua loquimur, quam 45 potentia, quia gratia et gloria correspondent; set essentia non glorificatur nisi mediante potentia; ergo <non> gratificatur nisi eadem mediante. Item omnis habitus datus homini propter assequendum Deum per opus meritorium perficit uoluntatem, cuius est mereri; set gratia est huiusmodi; ergo etc. Item si gratia perficeret 50 essentiam anime, perficeret ad omnes actus omnium potentiarum, et prius ad priores, uidelicet ad intellectum quam uoluntatem; hoc est falsum; ergo etc. Item supernaturalia, et maxime si sunt uariabilia, supponunt naturalia inuariabilia; set potentie anime sunt inuariabiles circa essentiam anime, gratia autem est uariabilis; ergo etc. Et quod 55 dicitur ulterius quod imo, quia *respexit Dominus prius ad Abel*, deinde *ad munera* eius, non est intelligendum quod Deus | acceptando prius respexerit ad essentiam et deinde ad opera, set est sensus quod acceptauit prius deuotionem offerentis, que est quidam actus interior uoluntatis, deinde ad munera oblata. Et ita non est ad propositum, 60 set magis ad oppositum.

[8] Quod autem dicitur secundo quod si esset solum in aliqua potentia non perficeret nisi ad actus illius potentie, uerum est immediate, sicut et charitas non perficit nisi ad actum uoluntatis
 65 immediate, set quia actui et imperio uoluntatis subiacent actus aliarum potentiarum, ideo charitas ad omnes actus imperatos a uoluntate perficit. Et idem est de gratia, si ponatur in sola uoluntate subiectiue.

[9] Dicendum ergo aliter quod nec gratia nec quicumque habitus
 70 acquisitus uel infusus est in essentia anime. Quod patet clare de habitibus acquisitis consideranti naturam habitus, quem definiens PHILOSOPHVS V *Metaphysice* dicit: habitus est quo quis *bene uel male disponitur* ad se uel ad alterum, bene quidem per bonum habitum et male per malum. Et secundum hoc est *duplex habitus*:
 75 *unus qui est dispositio rei secundum naturam eius intra. Alius, qui est dispositio rei per comparationem ad finem* extra, siue ad operationem per quam finis attingitur. Exemplum primi est de sanitate, per quam corpus bene disponitur in comparatione ad animam, prout ab ipsa est perfectibile uel bene regibile. Exemplum secundi est de uirtute,
 80 que disponit in ordine ad opera uirtuosa; *ad rationem autem habitus* quocunque modo sumpti *requiruntur* aliqua *plura diuersis modis commensurabilia, ut in eis possit inueniri* aliqua media ratio, et *aliquis determinatus modus commensurationis*, que ratio uel *modus* uocatur *habitus*, sicut *sanitas* est debita *commensuratio humorum* quattuor *ad*
 85 *inuicem diuersimode commensurabilium, qui tamen* in sanitate *reducuntur ad determinatum commensurationis modum*; unde ubi est unum uno modo se habens uel plura semper similiter se habentia, ibi non requiritur aliquis habitus. Cum enim habitus ponat modum, ibi nullus est necessarius habitus, ubi modus ex natura rei est
 90 determinatus.

[10] Ex his concluditur quod in essentia anime nullus est habitus, non habitus qui est dispositio ad intra, quia habitus ad intra est dispositio rei habentis partes, quarum una per habitum disponitur ad aliam; oportet ergo illam partem que disponitur per habitum ad

72 Philosophus ... 74 malum] Arist., *Metaph.*, V, 20, 1022b10-12; cf. etiam ps.-Thom., *Summa tot. Log. Arist.*, IV, 2 (71a); Thom., *S.th.*, I-II, 49, 1, resp.

74 duplex ... 86 modum] ps.-Thom., *Summa tot. Log. Arist.*, IV, 2 (71a)

88 Cum ... 90 determinatus] Infra distinctione 29, questione 12. *i.m. add. π*

aliam partem ordinari; set anima cum sit ultima et completiua forma 95
 hominis ad nihil aliud quod sit in homine ordinatur, non ad tempus,
 set magis corpus ad animam, cum forma non sit propter materiam,
 set potius econuerso, ut dicitur II *Physicorum*; ergo in
 essentia anime non potest esse aliquis habitus qui sit dispositio
 hominis secundum se. Item non potest esse in ea aliquis habitus qui 100
 sit dispositio hominis in comparatione ad opus, quia, sicut dictum
 est, *ad rationem habitus requiruntur plura ad inuicem diuersimode
 commensurabilia*. Essentia autem anime una et simplex est, non
 habens partem et partem, ipsa etiam inquantum huiusmodi uno
 modo semper se habet. Potentie autem relate ad suas operationes 105
 diuersimode ordinari et commensurari possunt. Contingit enim
 intelligere recte et non recte, propter multa que ad actum intelligendi
 concurrunt, scilicet phantasmata et multa talia. Et similiter est de
 uoluntate, propter quod in solis potentiis, ut ordinantur ad actus,
 possunt esse habitus, in essentia uero anime inquantum huiusmodi 110
 nullus.

[11] De gratia autem et omnibus habitibus infusis, cum perficiant
 hominem in comparatione ad operationem bonam, que est ad
 utilitatem persone (ut est gratia gratum faciens) uel ad utilitatem
 ecclesie (ut sunt gratie gratis date), idem dicendum est quod ipse sunt 115
 in illis potentiis tanquam in subiectis, ad quarum actus perficiunt.

[12] Ad primum argumentum dicendum quod in uiuentibus uita
 nature uita respicit essentiam anime tanquam primum principium
 uite, opere uero uite immediatius respiciunt potentias, que differunt
 ab essentia, quia principium essendi substantialiter potest differre a 120
 principio operandi. Set uita supernaturalis, que est per gratiam, cum
 sit quoddam accidentale, non oportet quod eius principium sit in alio
 quam in potentia, que est principium operandi, cum et ipsum
 principium talis uite sit principium immediatum operationum, ut
 dictum est supra immediate. | 125

π176va

[13] Ad secundum dicendum quod sicut generatio terminatur ad
 formam, sic regeneratio terminatur ad gratiam, que est quedam
 forma; set non oportet unum esse in altero, set debet esse quiddam

98 ut ... *Physicorum*] cf. *Auct. Ar.*, 2, 61 (145,15); ex *Arist., Phys.*, II, 2, 194a27-28; II, 8, 199a31-32

102 ad¹ ... commensurabilia] ps.-Thom., *Summa tot. Log. Arist.*, IV, 2 (71a)

omnibus que ad animam naturaliter pertinent superadditum, sicut
130 nomen rei supernaturalis importat.

[14] Ad tertium dicendum quod actus, cum sit perfectio transiens,
non potest esse subiectum habitus. Set potentia, cum sit permanens,
potest ei subiici. Et ideo gratificatio operationum supponit
gratificationem potentie propter defectum permanentie in operibus;
135 non autem est illa causa, ut gratificatio potentiarum supponat
gratificationem essentie, set eis gratificatis totum gratificatur.

QVESTIO TERTIA

VTRVM DIVISIO GRATIE PER OPERANTEM ET COOPERANTEM SIT BONA

[1] Ad tertium sic proceditur. Et uidetur quod diuisio gratie per
operantem et cooperantem non sit bona, quia omne cooperans
5 uidetur esse agens secundarium et non principale; set Deus nunquam
est agens secundarium; ergo nunquam cooperatur nobis per gratiam.
Et ita nulla gratia uidetur esse cooperans.

[2] *In contrarium est quod dicit AVGVSTINVS in libro De gratia
et libero arbitrio: Deus cooperando in nobis perficit quod
10 operando incipit, quia ipse ut uelimus operatur incipiens qui
uoluntatibus cooperatur perficiens. Set operationes quibus Deus mouet
nos ad bonum pertinent ad gratiam; ergo gratia conuenienter diuiditur
per operantem et cooperantem.*

[3] Responsio. Diuisio gratie per operantem et cooperantem non
15 est diuisio in diuersa per essentiam, set est diuisio eiusdem per
diuersa officia. Hec autem diuisio dupliciter accipitur secundum
duplicem opinionem de gratia. Gratia enim secundum unam
opinionem non est aliud quam diuinum beneplacitum, secundum
aliam uero est quoddam *habituale donum*.

4 quia ... 7 cooperans] cf. Thom., *S.th.*, I-II, III, 2, arg. 3; cf. etiam Aeg. Rom., *Ord.*, II, 26, 2, 3, arg. 3 (328bD)

8 In ... 13 cooperantem] Thom., *S.th.*, I-II, III, 2, sed contra; Aeg. Rom., *Ord.*, II, 26, 2, 3, sed contra (328bD-329aA)

Augustinus ... 9 arbitrio] Aug., *De gr. et lib. arb.*, 17, n.33 (901)

17 Gratia ... 19 donum] cf. Thom., *S.th.*, I-II, III, 2, resp.

[4] Secundum primam opinionem sumitur predicta diuisio gratie 20
per hunc modum; operari enim uel esse operantem *attribuitur* agenti
et non passo, *mouenti et non mobili*; ubi igitur uoluntas uidetur *mota*
et non mouens, solus autem Deus uidetur *mouens*, operari *Deo*
attribuitur, non uoluntati; ubi autem uoluntas non solum *mouetur*,
set mouet, operatio non solum attribuitur Deo, set uoluntati. Nunc est 25
ita quod quantum ad actum interiorem uoluntatis, qui est uelle
precipue *cum uoluntas incipit bonum uelle, que prius malum uolebat*,
uoluntas se habet ut mota, Deus autem ut mouens. Et ideo secundum
quod Deus mouet humanam uoluntatem ad hunc actum, cum hoc fit
ex eius beneplacito, ipsum beneplacitum diuinum *dicitur gratia* 30
operans, quantum autem ad actus exteriores, qui subiacent imperio
uoluntatis, uoluntas non se habet solum ut mota, set etiam ut
mouens. Et ideo quoad hos actus *operatio attribuitur uoluntati. Et*
quia ad hunc actum Deus nos adiuuat et interius confirmando
uoluntatem, ut ad actum perueniat, et exterius facultatem operandi 35
prebendo, ideo respectu huius actus dicitur beneplacitum diuinum
gratia cooperans. Vnde AVGVSTINVS post premissa uerba subdit: Vt
autem uelimus operatur. Cum autem uolumus perficiamus nobis
cooperatur; sic igitur si gratia accipiatur pro gratuita Dei motione qua
mouet nos ad bonum meritorium, conuenienter gratia diuiditur in 40
operantem et cooperantem.

[5] *Si uero gratia* sit habituale bonum, ut dicit alia opinio, *sic*
sumitur predicta diuisio secundum duplicem effectum gratie, *quorum*
primus est dare esse gratum. Secundus est perficere ad opus
meritorum. Gratia in quantum *animam Deo gratam facit dicitur* 45
operans, in quantum uero est principium operis meritorii quod etiam ex
libero arbitrio procedit, dicitur cooperans.

[6] Ad argumentum in oppositum dicendum quod cooperari non
solum est secundarii agentis, set cuiuscunque adiuuantis, quod potest
Deo competere. 50

20 Secundum ... 47 cooperans] Thom., *S.th.*, I-II, III, 2, resp.

37 Augustinus ... 41 cooperantem] Aug., *De gr. et lib. arb.*, 17, n.33 (901)

48 Ad ... 50 competere] cf. Thom., *S.th.*, I-II, III, 2, ad 3

[1] *Si uero queritur quomodo ipsa gratia.* Superius determinauit
 MAGISTER de gratia quantum ad sui potestatem in libero arbitrio,
 distinguens eam in operantem et cooperantem. Hic mouet quandam
 5 questionem circa eam quantum ad suum genus, ostendens ad quod
 genus reducatur, utrum scilicet sit actus uel habitus siue qualitas
 mentis, et quomodo per eam meremur, ponens eandem questionem
 de gratia et uirtute, uel quia est eadem ratio de utroque uel forte quia
 ipse fuit illius opinionis, quod gratia idem esset quod uirtus. Et
 10 diuiditur in duas. Primo mouet dubitationem et ponit dubitationis
 materiam. Secundo dubitationem soluit ibi: *Hic uidendum est quid sit*
uirtus, ubi secundum QVOSDAM incipit 27 distinctio. Secunda
 diuiditur in duas. Primo soluit questionem secundum unam
 opinionem, secundo secundum aliam. Secunda ibi: *Alii uero dicunt*
 15 *uirtutes*. Prima diuiditur in duas. Primo ponit quod uirtus sine gratia
 non est. Secundo hoc supposito ostendit quomodo per gratiam
 dicitur aliquis mereri. Secunda ibi: *Cum ergo ex gratia*. Prima
 diuiditur in tres. Primo ponit quod uirtutem solus Deus operatur in
 nobis. Secundo ostendit quod quilibet actus in nobis est ex libero
 20 arbitrio. Tertio ex his concludit quod uirtus non est actus. Secunda
 ibi: *Si igitur gratia*. Tertia ibi: *Preterea quidam*. Illa pars in qua
 ostendit quod per gratiam aliquis meretur diuiditur in duas. Primo
 ostendit intentum. Secundo ex omnibus dictis colligit solutionem
 dubitationis. Secunda ibi: *Ex premissis aliquatenus*. Illa pars in qua
 25 soluit secundum opinionem aliorum ibi: *Alii uero diuiditur in tres*.
 Primo ponit opinionem. Secundo opinionis probationem. Tertio
 responsionem probationis. Secunda ibi: *Quod autem uirtutes sine*
motus. Tertia ibi: *Quibus alii respondentes*. Et hec est diuisio et
 sententia lectionis in generali.

30 [2] In speciali sic procedit. Et proponit primo quomodo per
 gratiam homo meretur. Et querit etiam an gratia uirtutis an non. Si
 sit uirtus, utrum sit habitus an qualitas mentis, et proponit eandem
 questionem de uirtute; ponit etiam quandam distinctionem de bonis,
 quia sunt quedam bona magna, ut uirtutes, quedam bona minima, ut
 35 bona exteriora et corporalia, quedam media, ut potentie anime, et
 magnis bonis nemo male utitur, mediis autem et minimis bene et
 male uti possumus. Dicit etiam quod liberum arbitrium in mediis
 bonis est. Inducit autem ad hoc auctoritates AVGVSTINI. Ex quibus

contrarietatem colligit, quia primo ponit quedam uerba AVGVSTINI in quibus dicitur quod opus *uirtutis est bonus usus* liberi arbitrii. 40
 Secundo ponuntur quedam uerba eiusdem in quibus dicitur bonum usum liberi arbitrii esse uirtutem, que duo contrariantur, quia opus uirtutis non est uirtus. Si ergo opus liberi arbitrii est uirtus, non est opus uirtutis, cuius oppositum dixerat. Postea soluit, ostendens quod uirtus non est actus, et intendit talem rationem: causa uirtutis in 45
 nobis Deus est et non nos, set cuiuslibet actus nostri nos causa sumus; ergo uirtus non est actus, et per consequens gratia non est actus, cum gratia sit uirtus uel aliquid simile uirtuti. Probat autem quod uirtutis causa in nobis sit Deus. Primo de uirtute in communi, per eius diffinitionem quam AVGVSTINVS ponit, quod *uirtus est bona 50
 qualitas mentis, qua nullus male utitur, quam Deus in nobis operatur*. Secundo probat specialiter de uirtute iustitie per auctoritates AVGVSTINI, qui dicit quod uirtutem iustitie non facit in homine nisi Deus. Tertio probat specialiter de uirtute fidei, quam gratiam dicit nominari per APOSTOLVM. Postea dicit quod omnes motus et omnes 55
 affectus sunt in libero arbitrio. Bonus quidem ex gratia et libero arbitrio, malus uero ex libero arbitrio. Tertio ad hoc inducit auctoritates AVGVSTINI. Postea concludit ex dictis quod uirtus non est motus uel affectio animi, set qualitas animam informans, ubi etiam subdit quod non incongrue gratia uirtus nominatur. Postea dicit 60
 quod quanuis nullum meritorium sit in homine nisi per liberum arbitrium, principium tamen merendi est ipsa gratia, qua sanatur et adiuuatur hominis uoluntas ut sit bona, que etiam gratia non est meritum hominis, set Dei donum, ex qua et libero arbitrio in anima procedit bonus actus uel motus mentis, quod est ipsum bonum 65
 meritum hominis; ex quo concludit quod ex actibus uirtutum boni sumus et iuste uiuimus et ex gratia, que non est meritum, set ex ea est
 π177va | meritum, non tamen sine libero arbitrio proueniunt nostra merita, que Deus remunerat, que probat per AVGVSTINVM. Postea dicit quod ex premissis potest accipi qualiter proueniens gratia meretur augeri, et 70
 quid sit illa gratia, utrum sit uirtus an non. Et si uirtus, utrum sit actus an non. Patet enim ex dictis quod gratia sit uirtus, nec est actus ipse, set causa actus, non tamen sine libero arbitrio; quod autem

40 opus ... arbitrii] Aug., *De lib. arb.*, II, 19, 191 (271,11-12); *Retr.*, I, 9, 4 (27,114)

50 Augustinus ... 51 operatur] Lomb., *Sent.*, 27, 1, 1 (480,9-10)

53 uirtutem ... Deus] Aug., *Enarr. in Ps.*, 118, 26, 1 (1753,37-38)

DISTINCTIO XXVII EXPOSITIO TEXTVS

AVGVSTINVS supra dicit, usum liberi arbitrii esse uirtutem, accipienda
75 est ibi uirtus pro actu uirtutis, alias sibi contradiceret; unde et ipsa
gratia, que est idem quod ipsa uirtus, non est usus liberi arbitrii, set
ex ea est talis usus. Postea dicit quod aliqui dixerunt uirtutes esse
bonos usus uel actus naturalium potentiarum, 'actus' dico 'interiores',
qui sunt in mente, quos Deus in homine facit, quanuis dicantur esse
80 ipsius liberi arbitrii, exteriores uero actus, qui per corpus exercentur,
non sunt uirtutes, set opera uirtutum. Vnde quod AVGVSTINVS dicit
opera uirtutum esse bonum usum naturalium potentiarum dicit esse
intelligendum de actu exteriori, quod uero dicit uirtutem esse usum
liberi arbitrii, intelligendum est de usu interiori. Postea dicit quod
85 hoc uidetur confirmari auctoritate AVGVSTINI, qui dicit quod fides est
credere quod non uides, set credere est motus mentis et charitas est
motus animi similiter. Vltimo respondet ad has auctoritates quod
sicut charitas est motus animi, quia est gratia qua mouetur animus ad
diligendum, sic fides est ipsum credere, quia est uirtus qua creditur,
90 quam expositionem auctoritatibus confirmat. Et in hoc terminatur
sententia lectionis etc.

QUESTIO PRIMA
VTRVM VIRTVS SIT HABITVS

[1] Circa distinctionem istam primo queritur utrum uirtus sit habitus.
Et uidetur quod non, quia secundum PHILOSOPHVM I D e c e l o
5 *uirtus est ultimum de potentia*; set *ultimum* quod sit in potentia *est*
actus; ergo *uirtus est actus* et non habitus.

85 fides ... 86 uides] Lomb., *Sent.*, 27, 8, 5 (487,4-5); cf. Aug., *In Ioh. euang. tract.*, 79, 1 (526,16-17)

4 Et ... 6 habitus] Thom., *De uirt.*, I, 1, arg. 6 (707b)

Philosophum ... 5 potentia] Arist., *De cael.*, I, 11, 281a14 et a18; etiam ap. Thom., *S.th.*, I-II, 55, 1, arg. 1; *Super Sent.*, II, 27, 1, 1, arg. 1 (695); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 27, 1, 2, arg. 1 (234b); Rich. de Mediau., *Super Sent.*, II, 27, 1, 1, arg. 3 (347a); Aeg. Rom., *Ord.*, II, 27, 1, 1, arg. 2 (336bD)

[2] Item medium est de natura extremorum; set *uirtus est* medium *inter passiones*; ergo et ipsa est passio, non ergo habitus.

[3] In contrarium est quod dicit AVGVSTINVS quod *uirtus est bona qualitas mentis* etc.; set non est in aliqua specie qualitatis nisi in habitu, ut patet deducendo per omnes species qualitatis quas enumerat PHILOSOPHVS in *P r e d i c a m e n t i s*; ergo etc.

[4] Responso. Nomen uirtutis tractum est a uī uel a uiolentia; unde PHILOSOPHVS I *C e l i*, distinguens inter motum naturalem et uiolentum, dicit quod motus uiolentus est a uirtute, idest a uiolentia. Set quia uiolentiam non potest inferre nisi potentia maior et quodam modo predominans, ideo nomen uirtutis tractum est ad denominandum perfectionem potentie respectu actus. Potest autem dupliciter attendi perfectio potentie respectu actus. Vno modo quantum ad essentiam actus, et sic dicitur potentia perfecta que potest in supremum actus sibi debiti, sicut si fortitudo corporalis hominis est ferre centum libras, qui hoc potest habet perfectam fortitudinem, et hanc perfectionem dicit uirtus potentie naturalis, iuxta quem modum dicit ARISTOTELES I *C e l i* quod *uirtus est ultimum de potentia*, idest attenditur potentia prout potest in supremum et ultimum actus sibi debiti. Alio modo accipitur perfectio potentie respectu actus quoad eius determinationem; potentia enim que indeterminata est ad bene et male agere, sicut intellectus potest uere uel false intelligere, uoluntas bene uel male eligere, perficitur cum ad illud quod est bonum et conueniens determinatur; ut enim malum sonat in defectum, sic bonum in perfectum, et ideo illud quod determinat intellectum ad recte intelligendum uel appetitum ad recte appetendum dicitur eorum uirtus, et sic loquitur PHILOSOPHVS de uirtutibus per totum librum

7 Item ... 8 habitus] Thom., *Super Sent.*, II, 27, 1, 1, arg. 5 (695); *De uirt.*, I, 1, arg. 15 (708a); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 27, 1, 2 (234b); Rich. de Mediau., *Super Sent.*, II, 27, 1, 1, arg. 1 (347a); Aeg. Rom., *Ord.*, II, 27, 1, 1, arg. 1 (336bC-D)

9 In ... 12 etc] Thom., *De uirt.*, I, 1, sed contra I (708a-b)

uirtus ... 10 mentis] Lomb., *Sent.*, II, 27, 1, n.1 (480,8-9); cf. supra, II, 26, 2, A₃ (78,14)

11 ut ... 12 Predicamentis] Arist., *Cat.*, 8, 8b25-10a6

13 Nomen ... uiolentia] cf. Papias Vocabul., *Element.*, s.u. Vis (372a)

14 Philosophus ... Celi] Arist., *De cael.*, I, 7, 275b18-21

24 Aristoteles ... 25 potentia] Arist., *De cael.*, I, 11, 281a14 et a18

34 Philosophus ... 36 optimum] ap. Thom., *S.th.*, I-II, 55, 2, arg. 3; ex Arist., *Phys.*, VII, 3, 246a30-b24; *Eth. Nic.*, II, 6, 1106a15-17; II, 6, 1106b36-1107a2; VI, 1, 1139a15-17; *De cael.*, I, 11, 281a14 et a18; *Auct. Ar.*, 2, 186 (155,9)

35 *Ethi corum* et VII *Physi corum*, cum dicit quod *uirtus est dispositio perfecti ad optimum*.

[5] Sic loquimur nos de uirtute, de qua dicendum est quod est habitus. Quod patet per rationem ARISTOTELIS II *Ethi corum*. Quicquid est in anima per comparisonem ad actus quibus recte uel
 40 non recte utimur est potentia uel habitus uel actus, ut per actum comprehendamus non solum operationem appetitus sensitiui, que passio dicitur, de qua PHILOSOPHVS | solum ibi loquitur, quia solum π177rb
 inquit de uirtutibus moralibus, que ut plurimum perficiunt appetitum sensitium, set etiam per actum intelligamus omnem
 45 operationem cuiuslibet potentie que potest esse subiectum uirtutis, quia nunc loquimur generaliter de uirtute. Virtus autem, ut nunc accipitur, est aliquid in anima in ordine ad actus quibus recte uel non recte utimur, ut dictum est; ergo est potentia uel habitus uel actus; set non est potentia uel actus, ergo est habitus. Quod autem non sit
 50 potentia, patet quia *potentie insunt nobis a natura*, uirtus autem non, set uel ex acquisitione uel infusione. Item secundum potentiam non dicimur boni uel mali, *secundum uirtutes* autem *dicimur boni uel mali*; quare etc. Quod uero nec ipsa uirtus actus esse possit, nisi accipiatur pro actu primo, qui est forma dans esse uirtuosum, constat; nam
 55 accipiendo actum pro operatione uirtus non est actus, quia tunc homo non diceretur uirtuosus nisi actu operaretur, quod est inconueniens, quia dormiendo semper amitteretur uirtus; relinquitur ergo quod uirtus sit habitus.

[6] Ad primum argumentum patet responsio ex dictis; aliter enim
 60 accipitur uirtus hic et ibi.

[7] Ad secundum dicendum quod uirtus non est medium inter duas passiones, puta inter superabundantiam et defectum, set est habitus perficiens potentiam ad medio modo appetendum, ut non appetatur aliquid delectabile uel fugiatur aliquid triste
 65 superabundanter uel deficienter, set medio modo, prout ratio determinat.

38 Aristotelis ... *Ethi corum*] Arist., *Eth. Nic.*, II, 5-6, 1105b28-1106a24; cf. Thom., *Sent. Eth.*, II, 5 (91,108 sqq.)

49 Quod ... 51 infusione] Thom., *Sent. Eth.*, II, 5 (92,200-203); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 27, 1, 2, sed contra 1 (234b)

51 Item ... 53 etc] Thom., *Sent. Eth.*, II, 5 (92,192-197)

61 Ad ... 66 determinat] cf. Rich. de Mediau., *Super Sent.*, II, 27, 1, 1, ad 1 (347b)

QVESTIO SECVNDA

VTRVM HABENS GRATIAM POSSIT MERERI GLORIAM DE CONDIGNO

[1] Deinde queritur utrum habens gratiam possit mereri gloriam de condigno. Et uidetur quod sic, quia sicut se habet peccatum ad gehennam, sic opus meritorium ad gloriam; set per peccatum 5 meremur ex condigno penam gehenne; ergo per bonum opus cum gratia meremur ex condigno gloriam.

[2] Item *quod redditur secundum rectum iudicium, uidetur esse merces condigna* uel ex condigno debita; *set uita eterna redditur secundum rectum iudicium, secundum illud II Ad Tim. 4: In* 10 *reliquo reposita est mihi corona iustitie, quam reddet mihi dominus in illa die iustus iudex; ergo etc.*

[3] In contrarium est quia *inter opera meritoria maxime uidentur esse meritorie sanctorum passiones*, et tamen ille non sunt meritorie de condigno. *Dicit enim APOSTOLVS Ad Rom. 8: Non sunt condigne* 15 *passiones huius temporis ad futuram gloriam; ergo etc.*

[4] Responso. Dicunt QUIDAM quod habens gratiam potest ex condigno mereri gloriam. Quod probant sic: ubi est equalitas proportionis inter meritum et premium, ibi potest esse meritum de condigno; set inter opus informatum gratia et inter gloriam est 20 equalitas proportionis, licet ibi non sit equalitas quantitatis; ergo etc. Maior patet; est enim duplex equalitas, scilicet quantitatis et proportionis: quantitatis que est secundum estimationem rei ad rem absolute, ut est in emptionibus et uenditionibus; et hec equalitas spectat ad iustitiam commutatiuam. Aequalitas proportionis est 25

4 sicut ... 7 gloriam] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 27, 1, 3, sed contra 2 (701); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 27, 2, 1, sed contra 2 (237a); Aeg. Rom., *Ord.*, II, 27, 1, 4, sed contra 2 (353bB); Bonau., *Super Sent.*, II, 27, 2, 3, arg. 3 (666a)

8 Item ... 12 etc] Thom., *S.th.*, I-II, 114, 3, sed contra; *Super Sent.*, II, 27, 1, 3, sed contra 1 (701); cf. etiam Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 27, 2, 1, sed contra 1 (236b); Aeg. Rom., *Ord.*, II, 27, 1, 4, sed contra 1 (353bB)

10 II ... 12 iudex] II *Tim.*, 4,8

13 In ... 16 etc] Thom., *S.th.*, I-II, 114, 3, arg. 1; etiam *Super Sent.*, II, 27, 1, 3, arg. 1 (701); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 27, 2, 1, arg. 1 (236b); Rich. de Mediau., *Super Sent.*, II, 27, 2, 3, arg. 1 (351b); Aeg. Rom., *Ord.*, II, 27, 1, 4, arg. 1 (353aD); Bonau., *Super Sent.*, II, 27, 2, 3, sed contra 1 (666b)

15 Apostolus ... 16 gloriam] *Rom.*, 8,18

18 ubi ... 21 etc] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 27, 1, 3, sol. (702)

22 est ... 30 accipiens] Thom., *Super Sent.*, II, 27, 1, 3, sol. (702); Iac. Met., *Super Sent.*, II, 27 (T97rb-va; Vb67vb)

quando sic se habet res ad rem, sicut persona ad personam secundum excessum uel defectum; et hec pertinet ad iustitiam distributiuam. *In redditione autem premii* pro merito *magis seruatur forma distributionis* quam commutationis, *cum Deus reddet unicuique secundum opera sua,*
 30 *nihil a nobis* accipiens; ergo inter premium et meritum sufficit equalitas proportionis. Et hec fuit maior. Probatum minor; licet enim opus gratia informatum non sit tantum bonum in quantitate sicut est gloria, tamen est ibi equalitas proportionis; tantum enim uel plus excedit Deus hominem, quantum excedit gloria gratiam, *nec maius*
 35 *est Deo nobis gloriam tribuere quam nobis actum uirtutis exhibere, ideo* est ibi *equalitas proportionis*, que sufficit ad meritum de condigno, ut dictum est; ideo etc.

[5] Set hic est duplex defectus. Primus in hoc quod redditio premii pro merito pertinet ad iustitiam distributi- | -uam. Si enim alicui qui π177va
 40 seruit communitati retribuatur merces pro seruitio impenso, non esset hoc distributiue iustitie, set commutatiue, quia considerare habitudinem rei ad rem uel actionis ad passionem, non habito principali respectu ad habitudinem persone ad personam, pertinet ad iustitiam commutatiuam et non ad distributiuam; distributiua enim
 45 iustitia, per quam bona communia dantur personis priuatis in quantum sunt partes ciuitatis, primo respicit ad proportionem personarum, ex qua concludit proportionem rerum distribuendarum, ut *quanto persona maiorem principalitatem habet in communitate, tanto plura de bonis communibus* recipiat; set commutatiua iustitia
 50 e contrario primo respicit ad habitudinem rei ad rem, sicut in commutationibus, puta in emptione et uenditione, uel ad habitudinem actionis ad passionem, ut in iniuriis uindicandis uel puniendis, ad conditionem autem persone nunquam, nisi ex consequenti, in quantum *conditio persone facit ad quantitatem rei uel*
 55 *iniurie, sicut maior est iniuria, si percutiatur princeps quam si percutiatur priuata persona.* Sic igitur considerare habitudinem rei ad rem uel actionis ad passionem, siue in bonis siue in malis, non habito principali respectu ad habitudinem persone ad personam, pertinet ad commutatiuam iustitiam et non ad distributiuam. Set in redditione

31 licet ... 36 condigno] Thom., *Super Sent.*, II, 27, 1, 3, sol. (702); cf. etiam Aeg. Rom., *Ord.*, II, 27, 1, 4, resp. (354aC)

44 distributiua ... 53 puniendis] Thom., *S.th.*, II-II, 61, 2, resp.

54 conditio ... 56 persona] Thom., *S.th.*, II-II, 61, 2, ad 3

pemiorum et penarum pro meritis et culpis attenditur principaliter 60
 habitudo actionum, ut cuius actio fuit melior, plus premietur, cuius
 deterior, plus puniatur, nec habetur respectus ad conditionem
 personarum, nisi quatenus faceret differentiam actionum; ergo etc.

[6] Secundus defectus est in hoc quod male accipitur hic equalitas
 proportionis, que pertinet ad iustitiam distributiua. In iustitia enim 65
 distributiua non attenditur proportio rerum secundum proportionem
 dantis et accipientis, set secundum proportionem personarum
 accipientium, ut *quanto* quis *maiozem principalitatem habet in*
communitate, tanto plus de bonis communibus accipiat, ut dictum est.
 In proposito autem non seruatur iste modus proportionis, set 70
 sumitur proportio meriti ad premium secundum proportionem
 merentis et premiantis seu dantis et accipientis, quod non conuenit
 iustitie distributiue. Alioquin si princeps distribueret bona communia
 alicuius ciuitatis ciuibus, plus acciperet unusquisque quam si ea 75
 distribueret proconsul. Et si proportio meriti de condigno ad
 premium sic attenderetur, illi qui locant operas suas plus merentur ex
 condigno colendo agros diuitis quam pauperis et operando in opere
 regis quam ciuis, quod est falsum; patet ergo quod reddere premium
 pro merito non pertinet ad iustitiam distributiua, set ad
 commutatiua, que respicit equalitatem quantitatis, que nullo modo 80
 est inter opus nostrum, quantuncunq; gratia informatum, et
 gloriam; propter quod nondum apparet qualiter possumus gloriam
 mereri de condigno.

[7] Ideo dicitur aliter, tamen tenendo eandem conclusionem,
 scilicet quod conuenit mereri de condigno uitam eternam, quia inter 85
 opus gratia informatum et gloriam est equalitas non solum
 proportionis, set quantitatis. Cuius equalitatis duplex assignatur
 modus. Primus quia opus nostrum consideratum *secundum*
substantiam operis et ut *procedit a libero arbitrio*, non sit condignum
 glorie *propter maximam inequalitatem*, tamen *secundum quod procedit* 90
ex gratia Spiritus sancti; sic ualor eius attenditur secundum uirtutem
Spiritus sancti mouentis nos in uitam eternam, et est ibi quedam
 equalitas inter meritum et premium, ita ut iam non solum sit
 meritum de congruo, set etiam de condigno.

88 quia ... 92 eternam] Thom., *S.th.*, I-II, 114, 3, resp.; cf. etiam Rich. de Mediau., *Super Sent.*, II, 27, 2, 3, resp. (352a)

95 [8] Secundus modus est quia *gratia Spiritus sancti, quam habemus, etsi non sit equalis glorie in actu, est tamen equalis in uirtute*, quia est quoddam seminarium glorie. Semen autem animalis uel arboris in uirtute est totum animal et tota arbor. Confirmat autem QUIDAM hanc opinionem dupliciter. Primo quia plus meretur homo cum
 100 gratia quam sine gratia; set ante gratiam meremur de congruo, ergo post gratiam meremur de condigno. Secundo quia sicut peccatum ueniale est peccatum secundum quid et mortale est peccatum simpliciter, sic meritum de congruo est meritum secundum quid et meritum de condigno est meritum sim- | -pliciter; si ergo non
 105 contingeret mereri gloriam de condigno simpliciter, esset dicendum quod nullus mereretur gloriam, quod uidetur esse inconueniens. π177vb

[9] Set nec ista ualent; quod enim primo dicitur de motione Spiritus sancti non ualet, quia ualor actus nunquam est a motore nisi ratione alicuius formaliter existentis in actu uel in potentia elicitua
 110 actus; agens enim non perficit passum secundum seipsum, set secundum aliquid immissum, Spiritus etiam sanctus mouet ad actus qui non sunt meritorii, ut prophetare, ut apparet de Balaam N u m .
 23 et 24.

[10] Quod autem dicitur de gratia quod equatur glorie in uirtute,
 115 quia est eius seminarium, patet quod metaphorice dicitur; non enim est semen nisi respectu eorum que educuntur de naturali potentia creature, quod non conuenit glorie, sicut nec gratie.

[11] Rationes etiam non ualent; quod enim primo dicitur, quod plus meremur cum gratia quam sine gratia, dicendum quod plus
 120 meremur cum gratia quam sine gratia quantum ad quantitatem meriti, set non quantum ad tale genus merendi, quia est in nobis simpliciter impossibile, ut statim uidebitur. Quod postea dicitur, quod sicut peccatum ueniale est peccatum secundum quid, sic meritum de congruo est meritum secundum quid, dicendum est
 125 quod peccatum ueniale factum ex deliberatione est peccatum simpliciter, et qui diceret quod mentiens iocose ex deliberatione non peccaret, falsum diceret. Et eodem modo qui diceret quod meritum de congruo non sit meritum, falsum diceret, ut postea patebit.

95 Secundus ... 98 arbor] Thom., *S.th.*, I-II, 114, 3, ad 3; cf. etiam Rich. de Mediau., *Super Sent.*, II, 27, 2, 3, ad 4 (352b)

97 Semen ... 98 arbor] cf. Arist., *De gen. anim.*, I, 18, 725a22-23

112 ut² ... 113 24] *Num.*, 23,5-24

[12] Dicendum est ergo quod, prout dictum fuit libro I distinctione 27 questione 2, meritum de condigno subdistinguitur, 130 quia quoddam est meritum de condigno large sumpto, pro quadam dignitate quam Deus ex ordinatione requirit in operibus nostris ad hoc ut remunerentur uita eterna; et hec dignitas est in nobis per gratiam et charitatem habitualement, ut declaratum fuit ibidem. Aliud est meritum de condigno stricte et proprie accepto, et tale meritum 135 est actio uoluntaria, propter quam alicui debetur merces ex iustitia sic quod, si non reddatur ille ad quem pertinet reddere, iniuste facit et est simpliciter et proprie iniustus; et tale meritum de condigno inuenitur inter homines, set non est hominis ad Deum. Quod patet, quia quod redditur potius ex liberalitate dantis quam ex debito operis 140 non cadit sub merito de condigno stricte et proprie accepto, ut expositum est; set quicquid a Deo accipimus, siue sit gratia siue sit gloria, siue bonum temporale uel spirituale (precedente in nobis propter hoc quocunque bono opere), potius et principalius accipimus ex liberalitate Dei, quam reddatur ex debito operis; ergo nihil penitus 145 cadit sub merito de condigno sic accepto. Maior patet ex ratione meriti de condigno prius posita. Minor probatur, quia facilius et minus est reddere equiualens eius quod quis accepit ab alio quam eum constituere debitorem, quia ad constituendum eum debitorem requiritur quod plus reddat quam acceperit, ut sic ratione plurium 150 alius efficiatur debitor; set nullus potest reddere Deo equiualens, dicente PHILOSOPHO VIII *E t h i c o r u m* quod in his que sunt ad Deos et ad parentes impossibile est equiualens reddere; ergo multo minus est possibile quod ex quocunque nostro opere Deus fiat nobis debitor, ita ut si non redderet debitum esset iniustus. 155

[13] Causa autem huius est quia et illud quod sumus et quod habemus, siue sunt boni actus siue boni habitus seu usus, totum est in nobis ex liberalitate diuina gratis dante et conseruante; et quia ex dono gratuito nullus obligatur ad dandum amplius, set potius recipiens magis obligatur danti, ideo ex bonis habitibus et ex bonis 160 actibus siue usibus nobis a Deo datis Deus non obligatur nobis ex aliquo debito iustitie ad aliquid amplius dandum, ita quod si non dederit sit iniustus, set potius nos sumus Deo obligati.

152 in ... 153 reddere] *Auct. Ar.*, 12, 167 (244,32-33)

134 ut ... ibidem] in III d[istinctione] 20 q[uestione] 1 num[ero] 4 *i.m. add. π*

[14] Et sentire seu dicere oppositum est temerarium seu
 165 blasphemum; propter quod si decedenti in gratia Deus non daret
 gloriam, nihil iniustum faceret, et si habenti gloriam auferret eam,
 non esset iniustus. Quinimo si quis conqueretur de hoc, posset ei
 dicere Deus aliud euangelicum: *An non licet mihi quod uolo facere? An*
oculus tuus nequam | est, quia ego bonus sum? Et ille qui hoc pateretur π178^{na}
 170 debere dicere illud I o b 1: *Dominus dedit, dominus abstulit, sicut*
domino placuit, ita factum est, sit nomen domini benedictum. Quia
 cum omne bonum fit ex gratuito Dei dono, ex hoc quod Deus dat
 quedam non obligatur ad dandum alia, ita ut non dando sit iniustus,
 et si quid pro bonis operibus nostris nobis datur uel redditur, potius
 175 et principaliter est ex liberalitate Dei dantis quam ex debito nostri
 operis. Et sic patet propositio minor et per consequens ratio.

[15] Quod si quis dicat quod quanuis Deus non constituatur nobis
 debitor ex aliquo nostro opere, constituitur tamen debitor ex sua
 promissione, quam exprimit scriptura I a c o b i 1: Beatus uir, etc., et
 180 sequitur: *accipiet coronam uite, quam repromisit Deus diligentibus se,*
 non ualet propter duo. Primum est quia promissio diuina in
 scripturis sanctis non sonat in aliquam obligationem, set insinuat
 meram dispositionem liberalitatis diuine. Secundum est quia quod
 redditur non ex debito precedentis operis, set ex promissione
 185 precedente, non quidem redditur ex merito operis de condigno, set
 solum uel principaliter ex promisso. Et ita non est ibi illud debitum
 de quo loquimur.

[16] Et sic patet quod meritum de condigno stricte et proprie
 sumptum, uidelicet pro actione uoluntaria, propter quam operanti
 190 debetur merces ex iustitia sic quod, si non reddatur ille ad quem
 pertinet reddere, iniuste facit et est simpliciter et proprie iniustus,
 non est hominis ad Deum. Et ideo propter tale meritum, cum sit
 homini simpliciter impossibile, non est necesse in nobis ponere
 gratiam uel charitatem habitualem. Et si poneretur, frustra poneretur.
 195 Set solum per gratiam est in nobis istud meritum de condigno, quod
 Deus ex sua ordinatione gratuita requirit in operibus nostris ad hoc
 ut remunerentur uita eterna. Et hoc meritum est medium inter
 meritum quod est simpliciter de congruo et ante gratiam et meritum

168 An¹ ... 169 sum] *Matth.*, 20,15

170 Iob ... 171 benedictum] *Iob*, 1,21

179 Iacobi ... 180 se] *Iac.*, 1,12

quod est simpliciter de condigno; et ideo comparatum ad utrumque
 potest dici utrumque, quia comparatum ad meritum ante gratiam 200
 potest dici de condigno, et comparatum ad meritum de condigno
 simpliciter potest dici de congruo.

[17] Huic autem sententiae concordat communis doctrina, que
 ponit quod sicut reddere iustum pretium pro re accepta ab aliquo est
 actus iustitiae, ita recompensare mercedem uel premium laboris nostri 205
 operis est actus iustitiae. Et ideo in illis in quibus est simpliciter
 iustum etiam simpliciter ratio meriti et premii seu mercedis, in
 quibus autem non est simpliciter iustum, set secundum quid, in his
 non est simpliciter ratio meriti, set secundum quid; inter Deum
 autem et hominem non potest esse iustum simpliciter, sicut nec 210
 equale, set solum iustum secundum quid, scilicet dominatum, quia
 totum bonum quod est hominis est Dei et a Deo, et multo amplius
 quam actiones serui sint sui domini in humanis; propter quod
 meritum hominis apud Deum non potest esse meritum simpliciter de
 condigno, set solum secundum presuppositionem diuine 215
 ordinationis, ita scilicet ut homo id consequatur a Deo per suam
 operationem quasi premium uel mercedem, ad quod Deus ei
 uirtutem operandi deputauit que uirtus operandi ad merendum
 beatitudinem est non solum potentia uoluntatis, set habitus gratiae uel
 charitatis. 220

[18] Ad primum argumentum dicendum quod non est simile de
 merito et de demerito, quia qui in toto alteri obligatur tanto ex sua
 ingratitudine plus demeretur quanto plus recepit; set qui totum habet
 ab alio totum ei debet, nec potest eum constituere debitorem quod
 requiritur ad meritum de condigno, ut dictum est. 225

[19] Ad aliud dicendum quod APOSTOLVS non dicit quod corona
 glorie non reddatur secundum iustum iudicium, set quod reddetur a
 iusto iudice, quia a Domino, qui iustus est et misericors, set
 misericordiam ostendit coronando bonos, qui ex condigno non
 possunt mereri, iustitiam uero puniendo malos, qui ex condigno 230
 possunt demereri, nec tamen etiam eis reddit secundum rigorem
 iustitiae, quos iuste posset ad nihilare.

[1] *Illud uero inconcusse* etc. Superius determinauit de libero arbitrio. Hic determinat de insufficientia liberi arbitrii sine gratia. Et diuiditur in duas. Primo determinat quod dictum est generaliter in omnibus.
 5 Secundo specialiter in primis parentibus. Secunda in principio 21 distinctionis ibi: *Post hec considerandum est*. Prima diuiditur in tres. Primo exprimit Pelagianorum errorem et erroris absurditatem. Secundo ponit eorum obiectiones et ipsarum obiectionum solutionem. Tertio subdit ueritatis confirmationem. Secunda ibi:
 10 *Quid uero dicit sine gratia*. Tertia ibi: *Illud de gratia liberi arbitrii*. Secunda istarum diuiditur in tres. Primo ponit rationem eorum ad probandum quod homo sine gratia possit mandata Dei implere. Secundo ponit argumenta ad probandum quod possit per se a peccato resurgere. Tertio ponit aliquid ad probandum quod possit
 15 per se in Deum credere. Secunda ibi: *Alibi etiam Augustinus*. Tertia ibi: *In expositione autem quarundam*. Hec est sententia et diuisio lectionis in generali.

[2] In speciali sic procedit. Et proponit primo quod liberum arbitrium sine gratia ad obtinendam salutem non sufficit. Et ostendit
 20 errorem Pelagianorum. Et circa hoc tangit et explicat secundum AVGVSTINVM quod dicebant Pelagiani gratiam et salutem secundum meritum dari. Et hic error ortum habuit a Pelagiano monacho, qui dicebat homines sine gratia posse implere mandata Dei. Et cum increparetur a fratribus dicentibus: Ad quid ergo est necessaria gratia,
 25 respondebat ut facilius posset homo mandata Dei implere, que sine gratia difficilius poterat operari. Et sic ponebat quod liberum arbitrium erat ista gratia sine qua principaliter nihil boni operari potest homo. Addit autem multa alia inconuenientia, que dicebat ex istis sequentia, scilicet orationes quas ecclesia facit, quod nihil
 30 conferant his, pro quibus fuerunt facte. Et quod gratia datur secundum merita nostra. Et quod paruuli sine originali peccato nascuntur. Postea ponit obiectiones et auctoritates AVGVSTINI per quas heretici confirmant errores suos. Quarum prima talis est: si sit peccatum, secundum AVGVSTINVM *ergo caueri potest*. Si enim caueri
 35 non posset, ergo peccatum non esset, quia nullus peccat in eo quod

2 uero inconcusse] Lomb., *Sent.*, II, 28, 1, n.1 (487,19)
 33 si ... 34 potest] Aug. *De lib. arb.*, III, 18, 50 (304,10-11)

cauere non potest. Set peccatum non uitatur nisi per liberum arbitrium, quia secundum AVGVSTINVM *uoluntas est qua peccatur et recte uiuitur*; ergo secundum AVGVSTINVM per liberum arbitrium sine gratia potest quis mereri. Et respondet AVGVSTINVS, qui dicit se sic intellexisse quod uoluntas est qua peccamur et recte uiuitur, set non potest in bonum dirigi nisi per gratiam Dei a peccato mandata adiuuetur. Item arguunt per AVGVSTINVM auctoritatem dicentis quod nulli debet imputari, si non fecerit quod facere non potuit; ergo paruuli qui gratiam non habent, set diuina mandata non seruant, rei publicandi non sunt. Ex quo sine ipsa gratia non possunt mandata implere. Et respondet AVGVSTINVS quod hoc dicit contra Manicheos, qui ponebant duas naturas in homine, unam bonam a Deo, aliam malam a diabolo, quod si ita esset, non posset ab ea bonum fieri, et sic non esset ei culpa imputanda. Postea ponit aliam ipsorum obiectionem, quod homo posset resurgere a peccato sine gratia, quia secundum AVGVSTINVM mutare uoluntatem est in nostra potestate, ergo potest de se sine gratia resurgere a peccato; respondet AVGVSTINVS quod hec potestas nulla est, si non esset a Deo data; unde proponit quod uoluntas non nisi per gratiam opera pietatis faciliter exerceret. Postea ponit alias obiectiones, quod potest aliquis in Deum credere sine gratia, eo quod uelle credere nostrum est, ergo potest homo in Deum credere sine gratia; respondet AVGVSTINVS quod utrunque est Dei principaliter, ex consequenti autem nostrum, quia non nisi nobis uolentibus et consentientibus hoc esse potest. Item ad idem arguunt secundum AVGVSTINVM posse habere fidem a natura est hominum, ergo homo per sua naturalia potest in Deum credere, et respondet quod homo de se habet naturalem aptitudinem ad credendum et diligendum, set credere uel diligere sine gratia esse non possunt. Ultimo ponit ueritatem de gratia et libero arbitrio secundum HIERONYMVM, qui dicit etiam illos errare qui dicunt homines propter naturam malam non posse uitare peccatum et illos qui ponunt homines propter naturam bonam peccare non posse sicut Iouinianus; ambo enim tollunt arbitrii libertatem. Set dicit

37 secundum ... 38 uiuitur] Aug., *Retr.*, I, 9, 4 (26,95)

51 secundum ... 53 data] Aug., *Retr.*, I, 22 (66,59-61)

57 respondet ... 59 potest] Aug., *Retr.*, I, 23, 3 (69,70-75)

60 secundum ... 62 credere] Prosper Aquit., *Sent. ex Aug. delibatae*, 316 (1887); ex. Aug., *De praed. sanct.*, I, 5, 10 (PL 44, 968)

65 secundum ... 66 peccatum] ap. Lomb., *Sent.*, II, 28, 4 (491)

HIERONYMVS quod possumus semper peccare et non peccare, ut nos
70 liberos confiteamur. Hec est fides nostra etc. |

π178va

QUESTIO PRIMA

VTRVM SINE GRATIA POSSIT HOMO COGNOSCERE ALIQVAM VERITATEM

[1] Circa distinctionem istam primo queritur utrum sine gratia possit
homo cognoscere aliquam ueritatem. Et uidetur quod non, quia *sicut*
5 *se habet sensus ad sensibilia, sic intellectus ad intelligibilia*; set sensus
uisus, qui inter omnes est nobilissimus, nihil potest uidere sine
extrinseco lumine; ergo nec intellectus potest aliquid intelligere sine
aliquo lumine superaddito, quod est gratis datum.

[2] Item *facilior est uia cognoscendi aliquid per doctrinam quam per*
10 *inventionem; set nullus potest acquirere scientiam ueritatis per*
doctrinam *exterius nisi Deus doceat interius*, ut dicit AVGVSTINVS libro
De magistro; *ergo multo minus per inventionem, et sic nullo*
modo.

[3] In contrarium est quia si absque gratia non possemus aliquod
15 uerum intelligere, nullum nostrum intelligere esset pure naturale, et
ita intellectus secundum se careret propria operatione; quod est
inconueniens, ergo etc.

[4] Responsio. Gratia dupliciter accipitur. Vno modo pro gratia
Dei prouidentia qua gratis omnibus rebus impendit ea que ipsis
20 conueniunt. Alio modo accipitur gratia pro habituali dono recepto in
anima. Primo modo nulli est dubium quod sine gratia Dei non
possumus quicquam uerum intelligere, quia sine intellectu quem
Deus homini dedit ex sua prouidentia tanquam aliquid necessarium
ad finem suum nihil intelligere possumus; si autem accipiatur gratia
25 pro dono habituali, aut illud erit gratum faciens uel solum gratis
datum. Si primo modo, sic dicendum est quod sine gratia possumus
quodcunque uerum intelligere, quia talis gratia uel est idem quod

4 sicut ... 5 intelligibilia] *Auct. Ar.*, 6, 137 (185,31-32)

sicut ... 8 datum] cf. *Aeg. Rom.*, *Ord.*, II, 28, 1, 1, arg. 3 (359bA-B)

9 Item ... 13 modo] *Thom.*, *Super Sent.*, II, 28, 1, 5, arg. 3 (730)

11 ut ... 12 magistro] *Aug.*, *De magistr.*, 12, n.40 (198,35-37)

14 In ... 17 etc] cf. *Thom.*, *Super Sent.*, II, 28, 1, 5, sed contra 1 (731)

charitas uel non est charitate; set sine charitate possumus quodcunque uerum intelligere, ergo et sine tali gratia. Minor probatur, quia *perfectio prioris non dependet a perfectione posterioris*, 30 propter quod intellectus ad intelligendum uerum non requirit gratiam que perfectio uoluntatis ponitur. Et hoc est quod dicit AVGVSTINVS I libro *Retractionum*: *non approbo quod in oratione dixi: Deus qui non nisi mundos scire uerum uoluisti. Responderi enim potest multos etiam non mundos multa uera scire*, set per gratiam 35 homo mundus efficitur.

[5] Si autem gratia uocetur quocunque habituale donum gratis datum quod potest esse commune bonis et malis, sic distinguendum est de ueritate, quia quedam ueritas est de sensibilibus et ex sensibilibus deducta, quedam uero que nec est in sensibilibus nec ex 40 sensibilibus deduci potest. Primam ueritatem potest intellectus intelligere absque dono quocunque supernaturali gratis dato, quia quelibet potentia potest in obiectum sibi proportionatum absque quocunque extrinseco; set obiectum proportionatum nostro intellectui est ueritas in sensibilibus et ab eis deducta, sicut intellectus 45 noster est quoddam intellectiuum cum sensitiuo; ergo talem ueritatem potest intelligere intellectus noster sine quocunque addito. Si autem sit ueritas que nec sit in sensibilis nec ab eis possit deduci, ut sunt multa que fide tenemus, sic talis ueritas potest cognosci dupliciter. Vno modo cognitione intuitiua uel scientifica. Alio modo 50 cognitione coniecturali uel per modum qualiscunque assensus. Primam cognitionem non potest habere intellectus uiatoris ex se de ueritate supernaturali; cuius ratio est quia omnis talis cognitio uel est alicuius per se et in se notio, et est cognitio intuitiua, uel deduci potest ex per se notis, si sit cognitio scientifica; set talis ueritas 55 supernaturalis non est intellectui uiatoris quantum ad modum cognitionis naturalis de se et in se nota, nec ex per se notis nobis potest deduci, ut plenius declaratum fuit in primo libro; ergo de tali ueritate non potest intellectus uiatoris de se habere cognitionem intuitiuam uel scientificam. 60

30 perfectio ... posterioris] Thom., *S.th.*, I-II, 58, 5, arg. 1

32 Et ... 36 efficitur] Lomb., *Sent.*, I, 2, 1, n.2 (61,19-20); ex Aug., *Retract.*, I, 4, 2 (14,12-14)

58 ut ... libro] cf. supra, I, prolog., §1 (Ira)

58 ut ... libro] questione 3 prologi *i.m. add. π*

[6] Si autem loquamur de cognitione que est qualiscunque assensus ex coniectura uel auctoritate dicentis, sic uidetur esse dicendum quod sine quocunque habitu supernaturali potest intellectus noster ueritati articulorum assentire. | Quod patet primo, π178vb
 65 quia illi ueritati potest intellectus noster assentire ad cuius obiectum habet motiuum, et si non necessarium, tamen probabile et persuasiuum. Assentimus enim multis de quibus non habemus necessariam rationem, set ualde tenuem coniecturam; set ad assentiendum ueritati supernaturali sine quocunque habitu habemus
 70 motiuum probabile et persuasiuum, uerbi gratia cum Christus doceret se esse uerum Deum, et ad confirmationem sue doctrine faceret signa que solus Deus potest facere, sicut ipse dixit: *Si mihi non uultis credere, operibus credite*, talia signa poterant inclinare intellectum ad credendum ipsum esse Deum. Vnde et DOCTORES
 75 dicunt quod demones crediderunt Christum esse Deum, non per habitum infusum, set ex apparentia signorum; quare etc.

[7] Item credere est assentire alicui, uero non propter se, set propter auctoritatem dicentis; set ad hoc non uidetur aliquis necessarius habitus; credo enim pluuiam futuram, quia ita dicit
 80 astrologus et credo Deum incarnatum, quia ita dicit scriptura, quam puto secundum auctoritatem ecclesie a Deo inspiratam; quare etc. Item non requireretur habitus nisi ut eleuaret potentiam; set istud non est necessarium, quia quanuis sit super facultatem naturalem intellectus nostri clare intelligere ueritatem articulorum, tamen non
 85 est super facultatem eius assentire ei ex auctoritate alterius; multis enim assentimus ex dictis sapientium que non clare intelligimus. Item secundum DOCTORES hereticus discredens solum unum articulum caret habitu fidei infuse, et tamen assentit aliis articulis; ergo non uidetur necessarium quod ponamus habitum infusum ad
 90 assentiendum ueritati articulorum. Et si dicatur: 'Ergo fides superfluit', dicendum quod non, quia etsi non sit necessaria propter assensum absolute acceptum, est tamen necessaria ad hoc ut intellectus ueritati articulorum et assentiat faciliter contra intellectus duritiam et firmiter ac discrete contra intellectus errorem, quia

72 Si ... 73 credite] *Ioh.*, 10,38

74 doctores] cf. Lomb., *Sent.*, III, 23, 3, n.4 (143,8-10); Aug., *Serm.*, 144, 2, 2 (788)

87 doctores] cf. Thom., *S.th.*, II-II, 5, 3, resp.; *Super Sent.*, III, 23, 3, 2, sol. (751); *De uerit.*, 14, 10, ad 10 (468,298-311)

unusquisque habitus, sicut inclinatur ad proprium obiectum, sic facit 95
refutare contraria.

[8] Ad primum argumentum dicendum quod lumen extrinsecum non requiritur ad uisionem corporalem ex parte uisus, tanquam aliquid cooperans uisui ad uidendum, set sequitur tanquam dispositio medii et organi ad recipiendum speciem coloris uel ipsam 100 uisionem, que non potest esse nisi diaphano actu illuminato. Vnde et alii sensus lumen non requirunt ad cognoscendum proprium obiectum, quod sine lumine extrinseco presentialiter habere possent. Et similiter est circa intellectum, cui suum obiectum potest presens esse sine quocunque dono habituali superaddito. 105

[9] Ad secundum dicendum quod secundum AVGVSTINVM ibidem *ille qui docet similis est illi qui mouet digitum ad ostendendum uisui, qui tamen uirtutem uisuiam non confert uidenti, et homo potest exterius uerba proferre, que sunt signa ueritatis, non tamen uim intelligendi ueritatem prebet, set est a solo Deo; pro tanto ergo Deus 110 dicitur interius docere quod uim intelligendi in nobis causat, et non ex hoc quod in cognitione cuiuslibet ueritatis nouum lumen infundat.*

QUESTIO SECVNDA

VTRVM SINE GRATIA POSSIT HOMO ALIQVOD BONVM FACERE

[1] Secundo queritur utrum sine gratia possit homo aliquid bonum facere. Et uidetur quod non, quia *cogitatio boni precedit operationem eiusdem*; set cogitare bonum non possumus sine gratia, II Cor. 3: 5 *Non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, set sufficientia nostra ex Deo est*; ergo nec facere.

106 secundum¹ ... 112 infundat] Thom., *Super Sent.*, II, 28, 1, 5, ad 3 (732)

Augustinum ibidem] re uera Aug., *De doctr. christ.*, prol., 3 (2,28-43)

4 quia ... 7 facere] Thom., *Super Sent.*, II, 28, 1, 1, arg. 2 (717); *De uerit.*, 24, 14, sed contra 4 (723,73-79); cf. etiam Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 28, 1, 2, sed contra 3 (242a); Rich. de Mediau., *Super Sent.*, II, 28, 1, 1, sed contra 1 (355a); Aeg. Rom., *Quodl.*, II, 29, sed contra (26rb); *Ord.*, II, 28, 1, 2, arg. 2 (362aB); Bonau., *Super Sent.*, II, 28, 2, 3, sed contra 2 (688b)

5 II ... 7 est] II Cor., 3,5

[2] Item I o h . 15 : *Sine me nihil potestis facere*; set Deus habitat in nobis per gratiam; ergo sine gratia non possumus in opus bonum.

10 [3] In contrarium est quia sicut se habet intellectus ad cognitionem ueri, sic uoluntas ad eius amorem et potentie operatiue ad eius executionem; set sine gratia potest | intellectus cognoscere uerum, ut π179^{ra} statim dictum est supra, ergo et uoluntas appetere bonum et facere.

[4] Responso. Opus aliquod potest esse bonum dupliciter. Vno
15 modo bonitate morali, que est ex conformitate ad rectam rationem, ut patebit infra distinctione 38 questione 1 numero 7. Alio modo bonitate meritoria. Primo modo potest homo sine gratia bonum opus, quia ubi sunt principia sufficientia alicuius operationis, ibi potest esse et illa operatio; set in homine absque gratia sunt
20 sufficientia principia bone operationis moralis; quare etc. Minor probatur, quia recta ratio agibilium et uoluntas per eam recta sufficiunt ad bonam operationem moralem; hec autem sunt in homine sine gratia; ergo etc. De opere autem meritorio dicendum quod in tale opus non potest homo sine gratia, quia omne meritum
25 uite eterne uel est de condigno uel de congruo. Set meritum de condigno innititur ualori operis, qui est gratia habitualis, meritum uero de congruo innititur libertati diuine, que etiam gratia dicitur secundum unam acceptionem gratie, ut dictum fuit supra, distinctione 26 questione 3; ergo nullum meritum nec de condigno
30 neque de congruo potest esse sine gratia altero duorum modorum accepta; et in hoc errauit Pelagius dicens liberum arbitrium sufficere ad merendum sine gratia, quod non est uerum, quanuis per se sufficiat ad eliciendum opus morale bonum ex genere, fine et circumstantiis. Per hoc autem quod dicitur per se, non excluditur
35 generalis influenza Dei qua rerum principia in esse conseruat, sine qua nihil esset aut fieret. Et sic intelligitur illud I o h . 15 : *Sine me nihil potestis facere*, et illud II C o r . 3 : *Non sumus sufficientes*

8 Item ... 9 bonum] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 28, 1, 1, arg. 1 (717); cf. etiam Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 28, 1, 2, sed contra 4 (242a); Aeg. Rom., *Ord.*, II, 28, 1, 2, arg. 1 (362aB); Bonau., *Super Sent.*, II, 28, 2, 3, sed contra 1 (688b)

Ioh ... facere] *Ioh.*, 15,5

10 In ... 13 facere] cf. Rich. de Mediau., *Super Sent.*, II, 28, 1, 1, arg. 2 (355a)

12 ut ... 13 supra] cf. supra, II, 28, 1

14 Opus ... 40 firmiter] cf. Bonau., *Super Sent.*, II, 28, 2, 3, resp. (689a-b)

28 ut ... 29 3] cf. supra, II, 26, 3

36 Ioh ... 37 facere] *Ioh.*, 15,5

37 II ... cogitare] II *Cor.*, 3,5

cogitare etc. Vel intelligitur de cogitatione eorum que ad finem pertinent, ad que etsi possumus attingere sine quocunque dono habituali, non tamen sufficienter, quia non faciliter nec firmiter, ut 40 potuit supra immediate.

[5] Per hoc patet responsio ad argumenta in contrarium.

QVESTIO TERTIA

VTRVM SINE GRATIA POSSVMVS VITARE QVODCVNQVE PECCATVM MORTALE

[1] Tertio queritur utrum sine gratia possimus vitare quodcunque peccatum mortale. Et uidetur quod non, quia a potentia defectuosa 5 non potest exire nisi defectuosus actus (*habens enim pedem claudum non potest incedere nisi claudicando*); set uoluntas sine gratia est defectuosa, ergo omnis actus est defectuosus; set actus defectuosus, si sit uoluntarius, est peccatum; ergo etc.

[2] Item *mors a peccato consequuta est, ut dicitur Rom. 5; ergo ubi 10 est necessitas moriendi, ibi est necessitas peccandi; set in statu post peccatum est necessitas moriendi*; ergo etc.

[3] Contra. *Nullus peccat in eo quod vitare non potest; si ergo existens in peccato non potest peccata vitare, ergo peccando non peccat; quod est impossibile.* 15

[4] Responsio. *De homine possumus loqui dupliciter. Vno modo secundum statum nature integre, in quo potuit carere gratia et culpa. Alio modo secundum statum nature corrupte, pro quo necesse est*

40 ut ... 41 immediate] cf. supra, II, 28, 1, §7

6 habens ... 7 claudicando] Thom., *Super Sent.*, II, 28, 1, 2, arg. 4 (721); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 28, 2, 1, arg. 6 (244a); Bonau., *Super Sent.*, II, 28, 2, 2, sed contra 6 (285a)

10 Item ... 12 etc] Thom., *Super Sent.*, II, 28, 1, 2, arg. 5 (721); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 28, 2, 1, arg. 5 (244a); Bonau., *Super Sent.*, II, 28, 2, 2, sed contra 5 (685a)

ut ... 5] *Rom.*, 5,12

13 Contra ... 15 impossibile] Thom., *S.th.*, I-II, 109, 8, arg. 1; Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 28, 2, 1, sed contra 3 (244a)

Nullus ... potest] ex Aug., *De lib. arb.*, III, 18 (304,5-6); etiam ap. Duns Scot., *Ord.*, II, 28, q. unic., arg. 2 (291,13-15); *Report.*, II, 28, q. unic., arg. 2 (137a)

16 De ... 18 corrupte] Thom., *S.th.*, I-II, 109, 8, resp.

42 Per ... contrarium] questione precedente *i.m. add. π*

hominem carentem gratia esse in peccato mortale. In primo statu
 20 potuit homo sine gratia uitare quodcunque peccatum mortale. Quod
 patet, quia omnis natura in sua integritate potest in actu suo cuius
 habet plenum dominium non exorbitare; set actus deliberationis, in
 quo solo potest peccatum mortale consistere, est plene in dominio
 hominis; ergo in statu nature integre potuit homo circa hunc actum
 25 non exorbitare, et ita non peccare mortaliter.

[5] In statu autem nature corrupte, scilicet post peccatum
 primorum parentum, in quo necesse est uel esse hominem in gratia
 uel in peccato mortali, distinguendum est quia hominem existentem
 sine gratia et in peccato mortali posse uitare quodcunque mortale
 30 potest dupliciter intelligi: uel de peccato commisso satisfaciendo uel
 cauendo ab omni peccato committendo. Primo modo non potest
 homo sine gratia uitare peccatum, quia non potest satisfacere de
 peccato commisso sine gratia, quia *cum peccatum transeat actu* | et ^{π179rb}
 et maneat *reatu, non est idem resurgere a peccato et cessare ab actu*
 35 *peccandi, set resurgere a peccato est reparari ad ea que* homo per
 peccatum *amisit* et expediri ab eis que ex peccato incurrit; set homo
 per peccatum mortale amittit acceptionem operum suorum a Deo,
 que ante peccatum acceptabantur, ut remunerabilia uita eterna ad
 que reparari non potest nisi per gratiam, per quam opera nostra
 40 acceptantur tanquam meritoria, modo quo dictum fuit supra
 distinctione 27 questione 2. Incurrit etiam homo per peccatum
 mortale reatum pene eterne, a quo, cum sit infinitus, nisi per gratiam
 (hoc est per Dei gratuitam condonationem) absolui non potest,
 secundum quod Ps. dicit ex persona peccatoris: *Non dabit Deo*
 45 *placationem suam et pretium redemptionis anime sue, et laborabit in*
eternum et uiuet adhuc in finem; propter quod peccatum iam
 commissum non potest homo uitare sine gratia; et in hoc concordant
 omnes DOCTORES, licet circa hoc olim errauerit Pelagius *estimans*
hominem propriis operibus posse sine gratia se a peccatis commissis
 50 *satisfaciendo absoluere.*

28 hominem ... 31 committendo] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 28, 1, 2, sol. (723); Heru. Nat., *Super Sent.*, II, 22, 1, 1, resp. (270bC)

33 cum ... 36 amisit] Thom., *S.th.*, I-II, 109, 7, resp.

40 modo ... 41 2] cf. supra, II, 27, 2, §11

44 Ps ... 46 finem] Ps., 48,8-10

48 doctores] cf. e.g. Thom., *Super Sent.*, II, 28, 1, 2, sol. (723); Heru. Nat., *Super Sent.*, II, 22, 1, 1, resp. (270bC)

[6] Si autem loquamur de peccato committendo, utrum sine gratia possit quodcunque uitari, distinguendum est quia homo sine gratia aut est in peccato secundum actum, puta quia uult furari aut adulterari, aut solum secundum reatum, puta quia peccauit, set non manet actu in uoluntate peccandi, uel forte non cogitat aut non 55 recolit. Si primo modo, sic dicendum est quod homo existens in peccato secundum actum non potest diu manere, quin cadat in aliud peccatum mortale. Cuius ratio est quia sicut se habent principia in speculabilibus, sic fine in operabilibus uel appetibilibus, ut patet ex II P H Y S I C O R U M; set intellectus assentiens principiis 60 speculabilibus necessario assentit conclusionibus habentibus cum eis claram et necessariam colligantiam; ergo similiter uoluntas assentiens alicui fini necessario assentit his que habent claram et necessariam colligantiam cum illo fine. Propter quod ille qui uult adulterari et in hoc perseuerat, si non possit ad hoc attingere nisi furando, quod det 65 adultere necessario ex uelle adulterari incidit in uelle furari. Et ita similiter est in multis aliis peccatis. Et sic loquitur AVGVSTINVS libro De uera religione, quod superbus necesse habet aliis inuidere, quod non est intelligendum de necessitate absoluta, set conditionata, que est ex fine; dum enim superbus fini suo inherere 70 uult, qui est querere propriam excellentiam, necesse est ut inuideat alterius excellentia, que proprie excellentie derogat. Et ita homo existens in peccato secundum actum, non potest diu uitare quin cadat in aliud peccatum.

[7] Si autem homo sit in peccato solum secundum reatum, sic 75 dicunt QUIDAM quod *antequam hominis ratio in qua est peccatum mortale reparetur per gratiam iustificantem, potest singula peccata mortalia uitare ad aliquod quidem tempus, set non diu*. Quod sic probant: *sicut rationi debet subdi inferior appetitus, ita ratio debet subdi Deo et in ipso finem constituere, et sicut per iudicium rationis debent 80 regulari motus inferioris appetitus, ita per finem constitutum in Deo debent regulari omnes actus humani; set in appetitu inferiori non*

59 ut ... 60 Physicorum] Arist., *Phys.*, II, 9, 200a15-24

67 Et ... 68 religione] Aug., *De uera rel.*, 45, 84 (243,26-29); ap. Thom., *Super Sent.*, II, 28, 1, 2, arg. 3 (721); etiam ap. Bonau., *Super Sent.*, II, 28, 2, 2, resp. (685b)

69 non ... 70 fine] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 28, 1, 2, ad 3 (723)

72 Et ... 74 peccatum] cf. Heru. Nat., *Super Sent.*, II, 22, 1, 1 (271aA)

76 antequam ... 93 diu] Thom., *S.th.*, I-II, 109, 8, resp.; cf. etiam Heru. Nat., *Super Sent.*, II, 22, 1, 1, resp. (271aA-B)

totaliter subiecto rationi necesse est motus inordinatos contingere; ergo similiter *in ratione hominis non existente subiecta Deo* de necessitate
 85 est, *ut contingant multe inordinationes; cum enim homo non habet corpus firmatum in Deo, ut pro nullo bono consequendo uel male uitando, uellet ab eo separari, occurrunt multa propter que uitanda uel consequenda homo recedit a Deo contemnendo precepta ipsius, et peccando mortaliter.* Et ideo sicut homo in gratia constitutus (in quo
 90 tamen appetitus inferior non plene subditur rationi) potest uitare singula peccata uenialia et etiam omnia simul per aliquod tempus, set non diu, sic uoluntas hominis sine gratia potest uitare singula peccata mortalia et omnia simul ad tempus, set non diu.

[8] Set istud non uidetur ualere. Primo, quia secundum omnes in
 95 statu nature integre homo poterat omne peccatum mortale uitare. Que autem pertinent ad naturam per peccatum non amittuntur, licet forteabilitas minuat; et ideo libera electio boni et fuga mali, que ad naturam liberi arbitrii pertinent, nullo modo per peccatum subtra-
 | -huntur. Simile etiam quod adducitur de peccato ueniali non ualet; π179va
 100 est enim duplex genus peccati uenialis, est enim quoddam ueniale ex genere, ut est mendacium iocosum dictum ex deliberatione uel uerbum ociosum; aliud est peccatum ueniale propter imperfectionem actus, sicut sunt subiti motus sensualitatis respectu eorum que ex genere sunt peccata mortalia; licet autem non possimus uitare omnia
 105 peccata uenialia secundo modo dicta, quia ratio non potest semper esse peruigil ad reprimendum omnes tales motus, immo dum unus reprimitur, alter subito resurgit, nihilominus tamen omnia peccata uenialia ex genere que fiunt ex deliberatione possumus uitare, et per eandem rationem omnia mortalia que non nisi ex deliberatione fiunt,
 110 eorum autem que sequuntur deliberationem habemus semper plenum dominium; ideo non est simile quod pro simili inducitur, nisi quo ad hoc quod sicut circa appetitum sensitium contingunt multe inordinationes inuitabiles, quantum ad primos motus et subitos, propter hoc quod non perfecte subiiciuntur rationi, sic circa
 115 rationem respectu eorum que sunt ad finem contingunt multe inordinationes subite et inuitabiles, propter hoc quod motus

94 Primo ... 99 -huntur] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 28, 1, 2, sol. (722)

99 Simile ... 108 fiunt] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 28, 1, 2, sol. (722-723)

100 est² ... 102 ociosum] cf. Thom., *De malo*, 7, 1, resp. (158,255-258)

102 aliud ... 104 mortalia] cf. Thom., *S.th.*, I-II, 88, 2, arg. 3

uoluntatis in ea que sunt ad finem non plene subditur deliberationi rationis que est ex fine, set in talibus deordinationibus non potest esse peccatum mortale, et ideo non est ad propositum.

[9] Dicunt ergo ALII quod sine gratia homo potest uitare omnia 120 peccata mortalia, licet sit ualde difficile. Cuius ratio est quia si homo sine gratia non posset uitare omne peccatum mortale, hoc esset uel propter carentiam gratie uel propter inclinationem derelictam ex peccato precedente; non propter carentiam gratie, tum quia in statu nature integre hoc poterat sine gratia, ut dictum est, tum quia non 125 plus tollit priuatio quam ponit habitus; set per gratiam non ponitur in anima nisi efficacia ad merendum, supponit autem libertatem uoluntate ad bonum uel malum eligendum uel fugiendum; ergo per carentiam gratie hec libertas totaliter relinquitur, set efficacia merendi tollitur; nec etiam propter inclinationem derelictam ex peccato 130 precedente, quia inclinatio derelicta ex bono actu non necessitat uoluntatem quin libere possit a bono deuiare, ergo neque inclinatio derelicta ex malo actu necessitate eam qui libere possit malum uitare. Item dispositio derelicta ex aliquo actu solum inclinatur per se ad similem actum, et ita peccans semper necessitaretur ad postea 135 committendum simile peccatum, quod non uidemus.

[10] Nunc uidendum est quid ueritas habeat utraque precedentium opinionum. Et ad hoc uidendum distinguendum est de peccatis mortalibus, quia quedam sunt contra precepta iuris naturalis, quedam uero sunt contra precepta iuris diuini et supernaturalis. 140 Dicendum ergo quod peccata que sunt contra precepta iuris naturalis tantum possunt uitari ab homine existente in peccato predicto modo, scilicet secundum solum reatum, set non illa que sunt contra precepta iuris supernaturalis. Primum patet ut prius, quia si talia peccata non possent uitari sine gratia, hoc esset uel propter defectum 145 gratie uel ratione peccati precedentis. Non propter primum, quia talis defectus fuisset in statu innocentie, si homo fuisset creatus sine gratia, in quo omnia peccata talia poterant uitari et faciliter; nec ratione peccati precedentis, quia uoluntas ex uno non necessitatur ad uolendum aliud nisi ponat actum suum ad utrunque aliqualiter 150 eligendo uel refutando, sicut intellectus non necessitatur ad assentiendum uni propter alterum, nisi ponat actum suum circa utrunque affirmando uel negando; set uoluntas hominis existentis in

DISTINCTIO XXVIII QVESTIO III

peccato solum secundum reatum nullum actum habet circa illud
 155 peccatum, quia si aliquem actum uolendi haberet circa illud
 complacendo sibi in peccatum commissum, iam esset in peccato
 secundum actum et non solum secundum reatum; ergo ex solo reatu
 unius peccati nullus necessitatur ad aliud committendum, quare etc.
 Item bonitas moralis non stat cum peccato quod est contra dictamen
 160 iuris naturalis; set homo sine gratia potest in omne opus bonum
 bonitate morali que est ex obiecto, fine et circumstantiis, ut dictum
 fuit in precedente questione; ergo quilibet potest sine gratia uitare
 quodcunque pec- | -catum quod est contra dictamen solius iuris π179vb
 naturalis.

165 [11] Secundum patet, quod scilicet sine gratia non potest homo
 uitare omnia peccata que sunt contra precepta supernaturalis, ut sunt
 precepta de suscipiendis sacramentis ecclesie, puta eucharistie etc.,
 quia ad talia suscipienda tenetur homo in statu uie nisi casus
 necessitatis excludat. Excluso ergo casu necessitatis et habita copia
 170 conferentis aut suscipiuntur aut non: si non, committitur peccatum
 nouum ex contemptu sacramentorum, si suscipiuntur, iterum
 committitur peccatum, si suscipiens non sit in gratia, quia ad
 susceptionem eorum requiritur gratia; ergo talia peccata non possunt
 uitari ab eo qui manet in peccato secundum reatum.

175 [12] Et si dicatur quod immo, quia suscipiens talia sacramenta forte
 non recolit de peccato et ita non debet sibi imputari ad culpam, quia
 in tali peccato suscipit eucharistiam, non ualet, quia quod iste non
 recolat de peccato commisso aut hoc est, quia conscientiam suam
 diligenter non discutit, aut, dato quod discutit, non tamen in
 180 notitiam eius deuenit. Si primo modo sit, non excusatur a peccato,
 quia uoluntas omissio circumstantie que requiritur ad actum non
 excusat; set discussio conscientie in suscipiente sacramentum
 eucharistie est circumstantia que ad hoc factum requiritur, iuxta illud
 quod dicit APOSTOLVS I C O R I N T H O R U M II: *Probet autem*
 185 *seipsum homo* etc.; ergo eius omissio non excusat quin peccet, sicut
 recipiens in mortali. Set secundo modo, scilicet si conscientiam suam
 sufficienter discutit et nihilominus in notitiam peccati non deuenit,
 remittitur ei ex generali contritione, sine qua non est sufficiens

184 Apostolus ... 185 homo] I Cor., II,28

185 ergo ... 186 mortali] uide in 4 distinctione 9 questione 4 *i.m. add. π*

discussio conscientie, et sic iam non est in peccato; propter quod non
habet iam locum questio in hoc casu. Patet ergo quod existens in 190
peccato mortali quoad solum reatum potest uitare, quocunque casu
consequente, omne peccatum quod est contra preceptum iuris diuini.

[13] Ad primum argumentum dicendum quod a potentia
inquantum defectuosa non egreditur nisi actus defectuosus, et ideo a
uoluntate adherente malo fini et ex illo aliquid aliud elicente non 195
potest egredi nisi actus malus. Et sic dicendum quod uoluntas
perseuerans in peccato secundum actum non potest diu uiuere quin
cadat in aliud peccatum, tamen nihil prohibet uoluntatem que est in
peccato solum secundum reatum eligere opus bonum et uitare
quodcunque malum committendum, quia hoc non procedit ab ipsa 200
inquantum defectuosa, set inquantum innititur rationi, cuius
rectitudinem reatus peccati non tollit.

[14] Ad secundum dicendum quod eque necessarium est
existentem in gratia mori sicut existentem in peccato; unde necessitas
moriendi ex peccato originali consequuta est, quod omnes 205
contrahunt, et non ex peccato actuali, quod committunt.

QUESTIO QVARTA

VTRVM SINE GRATIA POSSIT QVIS IMPLERE DIVINA PRECEPTA

[1] Quarto queritur utrum sine gratia possit quis implere diuina
precepta. Et uidetur quod non, quia *nullus damnatur nisi pro peccato*
commissionis uel omissionis; set qui precepta legis implet, nihil omittit, 5
qui autem omne malum uitat, nihil committit; *si igitur sine gratia*
precepta legis homo possit implere, cum sine gratia possit peccatum
uitare, ut statim ostensum est, tunc sine gratia posset homo uitare
damnationem, set qui <non> damnatur est in gloria: ergo homo non
habens gratiam posset in gloria esse. 10

204 necessitas ... 206 committunt] cf. Heru. Nat., *Super Sent.*, II, 30, 1 (28,6-16)

4 nullus ... 10 esse] Thom., *Super Sent.*, II, 28, 1, 3, arg. 5 (725)

8 ut ... est] cf. supra, II, 28, 2, §11

9 non!] *suppl.: om. π*

[2] Item *AVGVSTINVS libro De heresibus dicit hoc pertinere ad heresim Pelagianorum ut credant sine gratia hominem posse facere omnia mandata diuina.*

[3] In contrarium arguitur quia *illud quod homo naturaliter facit*
 15 *sine gratia, per seipsum facere potest; set gentes que legem non habent naturaliter que legis sunt faciunt,* ut dicitur *R o m . 2* ; ergo precepta legis sine gratia impleri possunt. |

π180ra

[4] Responso. In omni precepto sunt duo considerata: materia
 precepti et finis. Materia precepti cadit sub obligatione; est enim illud
 20 quod precipitur; finis autem precepti cadit sub intentione, non autem sub obligatione; non enim precipitur, set intendit precipiens ut mediante precepto ad illud perueniatur. Verbi gratia: legislator precipit non percutere ciuem et intendit per hoc inter ciues fouere amicitiam; si quis igitur, cum ciuem non percutit, nec tamen
 25 conciuem diligit, implet preceptum legis quoad precepti obligationem; unde penam legis non meretur, ut legis transgressor, nihilominus ad finem intentum a legislatore non attingit. Similiter in preceptis diuinis aliud est quod precipitur tanquam materia precepti cadens sub obligatione, aliud uero quod finaliter intenditur; quod
 30 enim precipitur est actus uirtutis quoad substantiam actus solum, ut honorare parentes, credere unum Deum et similia; quod autem intenditur, set non precipitur, est ut homines per talia opera sic disponantur quod opera eorum acceptentur ut remunerabilia uita eterna, quod fit per gratiam. Et sic loquitur Saluator *M a t . 19. Si uis*
 35 *ad uitam ingredi, serua mandata.* Quod autem ita fit, patet, quia sicut per precepta affirmatiua precipitur actus uirtuosus, sic per precepta negatiua prohibetur actus uitiosus; et sicut seruantur precepta affirmatiua, faciendo quod preceptum est fieri, sic seruantur precepta negatiua abstinendo ab eo quod prohibitum est fieri; set sub

11 Item ... 13 diuina] Thom., *S.th.*, I-II, 109, 4, sed contra 1; Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 28, 1, 3, sed contra 1 (242b); Aeg. Rom., *Ord.*, II, 28, 1, 4, sed contra 2 (367bD)

Augustinus ... heresibus] Aug., *De haeres.*, 88, 2 (340,10-12)

14 In ... 17 possunt] Thom., *S.th.*, I-II, 109, 4, arg. 1; Rich. de Mediau., *Super Sent.*, II, 28, 5, 3, arg. 1 (357a); Aeg. Rom., *Ord.*, II, 28, 1, 4, arg. 1 (367bB)

15 gentes ... 16 2] *Rom.*, 2,14

18 In ... 19 finis] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 28, 1, 3, sol. (725); cf. etiam Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 28, 1, 3, resp. (242b-243a); Rich. de Mediau., *Super Sent.*, II, 28, 5, 3, resp. (357b); Aeg. Rom., *Ord.*, II, 28, 1, 4, resp. (368aB-C); Guill. Petr. de God., *Lect. Thom.*, II, 28, q. unic. (G46va)

34 loquitur ... 35 mandata] *Matth.*, 19,17

prohibitione precepti negatiui cadit actus quoad substantiam actus, 40
 ne fiat, et non quoad modum, uidelicet ut abstinens ab actu
 prohibitio sit in gratia; qui enim non occidit uel non mechatur, dato
 quod non sit in gratia, non propter hoc est transgressor illorum
 preceptorum ‘*non mechaberis*’, ‘*non occides*’, nec committit nouum
 peccatum, quia nullus facit contra preceptum negatiuum per 45
 omissionem, set solum per commissionem; set non habere gratiam
 est sola omissio, non mechari uel non occidere est similiter sola
 omissio; ergo qui non est in gratia nec occidit nec mechatur et sic de
 aliis preceptis negatiuis non est transgressor eorum, set potius
 obseruator. 50

[5] Et eodem modo in preceptis affirmatiuis nullus est transgressor
 si faciat quod precipitur, puta quod honoret parentes, licet non sit in
 gratia, quanuis non peruenerit ad finem intentum a precipiente,
 uidelicet ad hoc ut facta sua sint remunerabilia uita eterna; hoc enim 55
 intenditur, set non precipitur. Ex hoc patet responsio ad questionem
 istam, sicut ad precedentem, quia sunt quasi una questio; non enim
 est peccatum mortale nisi sit contra aliquod preceptum; et ideo sicut
 homo sine gratia potest uitare peccata mortalia, sic potest implere
 precepta.

[6] Dicendum ergo quod sine gratia, que est specialis acceptatio 60
 diuina, potest homo implere precepta iuris naturalis, non autem illa
 que sunt iuris supernaturalis, ut de suscipiendis sacramentis. Primum
 patet, quia quelibet potentia potest in actum sibi proportionatum
 quantum ad substantiam actus sine additione cuiuscunque alterius;
 est enim potentia qua possumus, ut dicitur *II Ethicorum*; set 65
 sub precepto iuris naturalis cadunt actus solum quantum ad
 substantiam actuum, actus dico quorum potentie sunt in nobis; ergo
 sine gratia et quocunque alio habitu possumus adimplere que sub tali
 precepto cadunt. Secundum patet, quia ubi habere gratiam cadit sub
 precepto, ut materia precepti, ibi preceptum non potest sine gratia 70
 impleri; set sic est in susceptione sacramentorum; ergo etc.

[7] Ad primum argumentum dicendum quod absque peccato
 omissionis et commissionis damnaretur homo pro solo peccato
 originali, nisi per gratiam liberaretur, quam adeptam non amittit, nisi
 per peccatum omissionis uel commissionis; et ita nunquam potest 75

44 non mechaberis] *Exod.*, 20,14

65 ut ... *Ethicorum*] *Arist., Eth. Nic.*, II, 5, 1105b24-28

homo damnari, nisi pro culpa, nec esse in gloria, nisi preuia gratia qualitercunque data.

[8] Ad secundum argumentum dicendum quod AVGVSTINVS loquitur de impletione mandatorum cum peruentione ad finem a
80 legislatore intentum. Illo enim modo sine gratia impleri non possunt.

π180rb

QVESTIO QVINTA

VTRVM SINE DONO SVPERNATVRALI AC MOTIONE SPECIALI SPIRITVS SANCTI HOMO POSSIT SE AD GRATIAM PREPARARE

[1] Quinto queritur utrum sine aliquo dono supernaturali ac speciali
5 motione Spiritus sancti homo possit se ad gratiam preparare. Et uidetur quod non, quia deterior est mors spiritualis quam corporalis; set homo mortuus corporaliter non potest se preparare ad uitam corporalem recuperandam; ergo nec mortuus spiritualiter per culpam potest se preparare ad spiritualem uitam, que est per gratiam.

10 [2] Item I o h . 6 dicitur: *Nemo potest uenire ad me, nisi pater, qui me misit, traxerit eum; si autem homo seipsum preparare posset, non oporteret quod ab alio traheretur*; quare etc.

[3] Contra. P r o u . 12 capitulo dicitur: *Hominis est animum preparare; set illud dicitur esse hominis quod per semetipsum potest;*
15 *ergo uidetur quod homo per seipsum possit se ad aliquam gratiam preparare.*

[4] Responsio. Quod homo possit se preparare ad gratiam sine nouo dono habituali sibi diuinitus infuso OMNES concedunt — et merito, quia si homo indigeret tali dono ad preparandum se ad
20 gratiam per eandem rationem, indigeret quodam alio dono ad

78 Ad ... 80 possunt] cf. Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 28, 1, 3, ad 2 (243a)

6 deterior ... 9 gratiam] cf. Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 28, 2, 4, sed contra 3 (246a)

10 Item ... 12 etc] Thom., *S.th.*, I-II, 109, 6, sed contra; etiam Guill. Petr. de God., *Lect. Thom.*, II, 28, q. unic. (G46rb)

Ioh ... II eum] *Ioh.*, 6,44

13 Contra ... 16 preparare] Thom., *S.th.*, I-II, 109, 6, arg. 4; *Quodl.*, I, 4, 2, arg. 1 (185,5-10); Rich. de Mediau., *Super Sent.*, II, 28, 1, 2, arg. 1 (356a)

Prou ... preparare] *Prou.*, 16,1; etiam ap. Aeg. Rom., *Ord.*, II, 28, 1, 3, arg. 1 (365aB)

preparandum se ad iam dictum donum; nullum enim donum supernaturale datur nisi preparatis in habentibus usum liberi arbitrii, alioquin daretur omnibus, quod non est uerum. Hoc autem posito procederetur in infinitum, cum non sit maior ratio sistendi in uno quam in alio; ergo preparatio ad gratiam non requirit aliquod 25 habituale donum, et hoc OMNES concedunt.

[5] Vtrum autem preparatio ad gratiam requirat speciale adiutorium Dei animum mouentis et inspirantis bonum propositum, dicunt QUIDAM quod sic, quia *ordo finium est secundum ordinem agentium*; semper enim supremum agens mouet ad ultimum finem, 30 inferius autem agens mouet ad finem sub fine, *sicut animus militis conuertitur ad querendam uictoriam ex motione ducis exercitus, ad sequendum autem speciale uexillum ex motione tribuni*; set supremum quod possit esse in anima pro statu presentis uite est quod uniatur Deo per gratiam; ergo ad hoc necessaria est specialis motio Dei 35 tanquam supremi agentis.

[6] Set istud non uidetur, quia licet supremo agenti conueniat ad ultimum finem perducere, nihil tamen prohibet infimum agens ad ultimum finem disponere, sicut uidemus in generatione hominis, in qua licet Deus introducat formam ultimam, natura tamen ex propria 40 uirtute disponit materiam, similiter licet ad consequutionem gratie requiratur specialis motio Dei gratiam infundentis, si tamen gratia sit habituale donum, tamen ad eam potest homo se disponere pure, ut uidetur, per liberum arbitrium absque tali speciali motione.

[7] Ideo uidetur aliter esse dicendum quod si speciale adiutorium 45 uocetur immediata motio uoluntatis a Deo, sine tali potest homo se preparare ad gratiam, quia illud bonum quod habet ad gratiam immediatum ordinem uidetur esse preparatorium ad ipsam; set bonum morale est huiusmodi; cum ergo in tale bonum possit homo sine immediata motione uoluntatis a Deo, patet quod absque tali 50 adiutorio potest se homo ad gratiam preparare. Si autem speciale adiutorium uocetur specialis prouidentia, quam Deus habet de his qui hereditatem capiunt salutis, sic predestinati, quandoque cadentes a gratia per culpam, non possunt se ad gratiam preparare sine speciali

26 omnes] cf. e.g. Thom., *S.th.*, I-II, 109, 6, resp.; *De uerit.*, 24, 15, resp. (725,37-66)

29 ordo ... 36 agentis] Thom., *S.th.*, I-II, 109, 6, resp.; Rich. de Mediau., *Super Sent.*, II, 28, 1, 2, resp. (356b); cf. etiam God. de Font., *Quodl.*, VIII, 5 (61-62); Guill. Petr. de God., *Lect. Thom.*, II, 28, q. unic. (G46va)

55 Dei adiutorio, quia sicut sub ordine generalis prouidentie, quam
Deus habet de rebus, cadit quicquid rem ipsam in finem promouet,
sic sub ordine speciali prouidentie, quam habet de electis, cadit
quicquid eos promouet ad salutem, siue sit exterior admonitio
hominis siue egritudo corporis uel quicquid uoluntatem excitat ad
60 bonum; et si hoc uocetur gratia, sine tali gratia non potest homo se
preparare ad gratiam. |

π180va

[8] Ad primum argumentum dicendum quod mors spiritualis prior
est quam corporalis quoad actum quem priuat, set melior est
secundum aptitudinem quam in subiecto relinquit; ratione cuius
65 potest se disponere ad recuperandum uitam gratie, non autem nature.

[9] Ad secundum dicendum quod nullus uenit usque ad Deum
nisi per gratiam quam solus Deus infundit, si sit habituale donum,
tamen potest homo ad Deum tendere, preparando seipsum absque
alio speciali adiutorio quam quod dictum est.

SENTENTIA HVIVS DISTINCTIONIS XXIX IN GENERALI ET SPECIALI

[1] *Post hoc considerandum est.* Superius MAGISTER determinauit de
gratia absolute. Hic determinat de ea in comparatione ad statum
primi hominis. Et primo determinat statum primi hominis quoad
5 gratiam et uirtutem. Secundo determinat penam peccati ipsius.
Tertio mouet quandam incidentem dubitationem. Secunda ibi: *In
illius quoque peccati.* Tertia ibi: *Potest autem queri utrum de ligno.* Hec
est sententia in generali etc.

[2] In speciali sic procedit. Et proponit primo querendo primo
10 utrum homo in statu primo indigeret gratia. Et respondet quod
indiguit homo gratia non per quam liberaretur a malo, quia
peccatum non habebat, set habebat unde stare poterat; set gratiam
per quam efficaciter moueretur in bonum non habebat; nec unde
posset proficere. Querit etiam utrum haberet uirtutes, et licet quidam
15 dicant quod non, tamen dicit MAGISTER quod habuit; quod ostendit
per auctoritates. Post dicit quod in penam peccati ipsius exclusus est

62 Ad ... 65 nature] cf. Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 28, 2, 4, ad 3 (246b)

2 Post ... est] Lomb., *Sent.*, II, 29, 1, n.1 (492,4)

homo a loco deliciarum et a ligno vite, per quod poterat in eternum uiuere, non post peccatum sumendo, set tantum ante. Et soluit quandam auctoritatem que uidetur facere in contrarium, scilicet quod si etiam post peccatum sumpsisset, uiueret in eternum. Subdit etiam quod ad impediendum reditum hominis in paradysum apposita est angelica et ignea custodia, scilicet cherubin et flammeus gladius atque uersatilis, per que significatur quod homo ad uitam non debebat redire nisi per cherubin, idest per plenitudinem scientie, scilicet charitatem, et gladium uersatilem, idest per tolerantiam temporalium passionum. Ultimo querit utrum ante peccatum de ligno uite comederit, et si comedit, quare non fuit factus immortalis. Et respondet MAGISTER quod comedit, set immortalitas non conferebatur nisi per frequentem ligni esum. Et in hoc terminatur etc.

QVESTIO PRIMA

VTRVM IN STATV INNOCENTIE HOMO INDIGVERIT GRATIA

[1] Circa distinctionem istam queritur primo utrum in statu innocentie homo indiguerit gratia. Et uidetur quod non, quia *pena non precedit culpam; set carentia uisionis diuine est* quedam pena; ergo hanc non incurrisset homo in statu innocentie dato quod gratiam non habuisset.

[2] In contrarium est quod dicitur Rom. 6 *gratia Dei uita eterna*, ergo in quolibet statu ad consequendam uitam eternam necessaria est gratia.

[3] Responso. Quanuis homo in statu innocentie conditus fuerit gratia, tamen non necessario indiguit ea ad conseruandum statum illum, indiguit tamen ea ad meritum uite eterne. Primum patet, quia status innocentie non amittitur nisi per culpam; set illam poterat

4 quia ... 7 habuisset] Thom., *Super Sent.*, II, 29, 1, 1, arg. 4 (739-740); Aeg. Rom., *Ord.*, II, 29, 1, 1, arg. 4 (379bB)

8 In ... 10 gratia] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 29, 1, 1, sed contra 1 (740); Aeg. Rom., *Ord.*, II, 29, 1, 1, sed contra 2 (379bC)

Rom ... eterna] *Rom.*, 6,23

DISTINCTIO XXIX QVESTIO V – II

15 homo uitare sine gratia, ut dictum est supra 28 distinctione questione
 3; quare etc. Secundum sic patet: omne meritum uel est de condigno
 uel de congruo; set ad meritum de condigno requiritur gratia
 habitualis, ad meritum autem de congruo requiritur gratia que est
 acceptatio diuina, ut ostensum fuit supra distinctione 27 questione 2;
 20 ergo etc. Item ad illud ad quod aliquis non potest peruenire ex natura
 sua oportet <quod ad hoc> perueniat ex alterius gratia uel dono
 gratuito, quod est idem; set ad uisionem diuine essentie in qua
 consistit uita eterna homo non potest peruenire ex propriis
 naturalibus; ergo oportet quod ad hoc perueniat ex alterius dono seu
 25 gratia. |

π180vb

[4] Ad argumentum in contrarium dicendum quod *carentia
 uisionis diuine potest intelligi dupliciter. Vno modo negatiue, et sic non
 est proprie pena set defectus totam naturam creatam consequens; nulla
 enim natura creata est ex se sufficiens ad uisionem diuinam qualem
 30 expectamus, et sic carentia uisionis diuine fuisset in homine ante
 peccatum si gratiam non habuisset. Alio modo potest sumi priuatiue ut
 intelligatur quedam obnoxietas ad carentiam uisionis diuine, et sic est
 pena, nec fuisset in homine ante peccatum.*

QVESTIO SECUNDA

VTRVM IN STATV INNOCENTIE HOMO HABVISSET OMNES VIRTVTES

[1] Postea queritur utrum in statu innocentie homo habuisset omnes
 uirtutes. Et uidetur quod sic, quia *uirtus est dispositio perfecti ad
 5 optimum*, ut dicitur V I I P h y s i c o r u m ; set in statu innocentie
 homo fuisset maxime perfectus; ergo habuisset omnes uirtutes.

15 ut ... 3] cf. supra, II, 28, 3, §4

19 ut ... 2] cf. supra, II, 26, 1, §7

20 Item ... 25 gratia] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 29, 1, 1, sol. (740-741); Petr. de Tarant.,
Super Sent., II, 29, 1, 1, resp. (249a)

26 Ad ... 33 peccatum] Thom., *Super Sent.*, II, 29, 1, 1, ad 4 (741); Petr. de Tarant., *Super
 Sent.*, II, 29, 1, 1, ad 4 (249a)

4 uirtus ... 5 Physicorum] *Auct. Ar.*, 2, 186 (155,9); ex Arist., *Phys.*, VII, 3, 246a13

21 quod ... hoc] *suppl.: om. π*

[2] Item nullus ex culpa sua debet reportare commodum; si ergo in statu innocentie caruisset uirtutibus, cum post peccatum perficiatur per eas, tunc homo ex peccato commodum reportasset; quod est inconueniens. 10

[3] In contrarium est quia *quedam uirtutes* habent pro materia *passiones respicientes malum, ut fortitudo*, que est *circa timores*; set huiusmodi *passiones non* fuissent *in statu innocentie*, ergo *nec* tales *uirtutes*. 10

[4] Responsio. Virtutum quedam sunt theologicæ, quedam 15 intellectuales, quedam uero morales. De theologicis dicendum quod fuisset in statu innocentie. Cuius probatio est quia respectu actus in quem potentia non potest per se uel non prompte et faciliter, oportet in potentia ponere habitum eleuantem uel tollentem difficultatem; set intellectus humanus et uoluntas non possunt per se cognitionem 20 articulorum et in spem futurorum bonorum uel non prompte et faciliter, ut patuit in precedente distinctione questione 1; ergo respectu talium actuum oportet ponere in nobis aliquem habitum eleuantem potentias uel tollentem difficultatem. Si uero loquamur de uirtutibus intellectualibus, sic dicendum est quod fuissent in statu 25 innocentie, quia illud quod ex puris naturalibus potest acquiri et quod est simpliciter, *melius est esse quam non esse*, illud fuisset in statu innocentie, in quo nullum bonum deerat, quod bona uoluntas posset adipisci, ut dicit AVGVSTINVS XIV De ciuitate Dei; set uirtutes intellectuales sunt huiusmodi; ergo etc. 30

[5] De uirtutibus autem moralibus sciendum quod quedam sunt circa operationes, ut iustitia et liberalitas et huiusmodi, quedam autem circa passiones moderandas. De primis dicendum quod fuissent in statu innocentie per eandem rationem que dicta est de uirtutibus intellectualibus, quia simpliciter melius est tales habere 35 quam eis carere; nec excedunt facultatem nature quin ex principiis naturalibus possint acquiri, uirtutes autem morales, que sunt circa passiones ponentes in eis medium et moderantes eas inter excessum et defectum, non fuissent in statu innocentie nec fuissent necessarie, nisi in quantum pertinuisent ad rationem originalis iustitie, uel 40

7 Item ... 10 inconueniens] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 29, 1, 3, sed contra 2 (746)

11 In ... 14 uirtutes] Thom., *S.th.*, I, 95, 3, arg. 2; Aeg. Rom., *Ord.*, II, 29, 1, 3, arg. 3 (389bD)

27 melius ... esse²] *Auct. Ar.*, 4, 48 (170,12)

29 ut ... Dei] Aug., *De ciu. Dei*, XIV, 10 (430,7-12)

formaliter uel uirtualiter. Cuius ratio est quia respectu illius actus non oportet ponere aliquem habitum respectu cuius potentia nullam habet indeterminationem et nullam patitur difficultatem; set in statu innocentie appetitus sensituius nullam habuisset indeterminationem
 45 et nullam difficultatem in appetendo secundum rectam rationem, immo plene et prompte obediisset rationi; hoc enim habuit conditio illius status; ergo in illo statu non fuissent necessarie uirtutes que ordinantur ad moderantiam passionum, nisi forte dicatur quod huiusmodi uirtutes intrinsece pertinebant ad rationem originalis
 50 iustitie, uel formaliter, ut aliqui putant, uel uirtualiter; et ita non fuissent acquisite, set innate uel infuse, nec essent uirtutes morales, set quasi naturales, nisi propter similitudinem actuum, ad quos inclinarent.

[6] Et si diceret aliquis quod simpliciter in primo statu non
 55 patiebatur quis difficultatem in operibus que sunt ad alterum, ut sunt iustitie, dicendum quod uerum est; inerat ta- | -men possibilis *π181ra* indeterminatione, quia licet haberet homo rectitudinem uoluntatis ad Deum et proximum, poterat tamen ab ea deficere, non autem a rectitudine appetitus sensitui nisi precedente defectu rectitudinis
 60 uoluntatis. Vnde possumus formare talem rationem: ubi est solum unus modus ex natura determinatus nec est possibilis alius, ibi non est necessarius aliquis habitus; set respectu passionum appetitus sensitui fuit unus solus modus in statu innocentie ex natura determinatus, ‘natura’ dico ut instituta fuit, nec fuit alius possibilis
 65 durante primo statu (non enim potuit ferri appetitus sensituius in suum obiectum nisi secundum dictamen rationis); ergo respectu passionum non fuit tunc necessarius aliquis habitus. Maior patet his que dicta fuerunt supra de habitu, distinctione 26 questione 2. Minor similiter declarata fuit supra, distinctione 21 questione 4, cum
 70 quereretur utrum in statu innocentie potuerit homo peccare uenialiter; sequitur ergo quod nulla uirtus moralis circa passiones existens fuisset in statu innocentie. Preter hoc autem est specialis ratio de his quorum obiecta omnino non fuissent, ut de fortitudine tangebatur in arguendo.

75 [7] Ad primum argumentum dicendum quod in statu innocentie homo fuisset maxime perfectus, etiam secundum appetitum

68 supra ... 2] cf. supra, II, 26, 2, §9

69 supra ... 4] cf. supra, II, 21, 4 (166va-vb)

sensitiuum magis quam nunc; set illa perfectio fuisset innata seu infusa et non acquisita; unde non fuisset habitus, ut nunc loquimur de habitu.

[8] Ad secundum dicendum quod homo ex peccato nullum in hoc 80 reportat commodum, quia perfectionem quam nunc habet tractu temporis et difficultate acquirendo, tunc habuisset a principio plenius et altiori modo quoad illa que respiciunt passiones appetitus sensitiui.

QVESTIO TERTIA

VTRVM IN STATV INNOCENTIE OPERA FVISSENT MAGIS MERITORIA

QVAM MODO

[1] Deinde queritur utrum in statu innocentie opera fuissent magis meritoria quam modo. Et uidetur quod non, quia difficultas operis 5 facit augmentum meriti, unde et *uirtus est circa bonum et difficile*; set modo difficilius est bene operari quam prius; ergo etc.

[2] Item bonum additum bono totum facit melius; set nunc est meritum essenziale ex radice charitatis, cui additur meritum accidentale ex difficultate operis; et istud non fuisset in statu 10 innocentie; quare etc.

[3] In contrarium est quia quanto aliquid est purius, tanto est melius in illo genere; set in statu innocentie merita fuissent puriora, quia non fuissent permixta cum demeritis sicut modo; ergo etc.

[4] Responso. Comparatio meritorum, de qua nunc agitur, potest 15 fieri uel secundum totum statum uel secundum particulares personas utriusque status. Si secundum totum statum, sic dico quod merita

5 quia ... 7 etc] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 29, 1, 4, arg. 3 (749); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 29, 2, 2, sed contra 3 (251a); Rich. de Mediau., *Super Sent.*, II, 29, 2, 2, sed contra 1 (366a); Aeg. Rom., *Ord.*, II, 29, 2, 1, arg. 2 (396aC); Bonau., *Super Sent.*, II, 29, 3, 2, sed contra 2 (706b)

6 uirtus ... difficile] Thom., *S.th.*, I, 95, 4, arg. 2; ex Arist., *Eth. Nic.*, II, 3, 1105a9

12 In ... 14 etc] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 29, 1, 4, sed contra 1 (750); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 29, 2, 2, arg. 2 (251a); Aeg. Rom., *Ord.*, II, 29, 2, 1, sed contra 2 (396bB); Bonau., *Super Sent.*, II, 29, 3, 2, arg. 2 (706a)

15 Comparatio ... 17 status] cf. Bonau., *Super Sent.*, II, 29, 3, 2, resp. (707b)

17 merita ... 22 etc] cf. Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 29, 2, 2, resp. (251b); Ioh. Paris., *Super Sent.*, II, 29, 2, resp. (190,3-6)

status innocentie et status moderni sunt equalia, quia quantitas
meriti innotescit ex quantitate premii; set premium, saltem essenziale,
20 est idem et equale quod conferetur pro meritis moderni status et
quod collatum fuisset pro meritis status innocentie, si durasset; ergo
etc. Minor probatur, quia premium quod reddetur pro meritis status
moderni est quod erimus equales angelis Dei in gloria; tunc autem
non fuisset premium maius, quia natura humana non est dignior
25 angelica, nec minus, quia non esset ignobilior instituta quam
destituta; quare etc. Si autem in statu moderno ipse Christus
includeretur, tunc merita status moderni excederet merita status
innocentie; nullus enim in statu innocentie peruenisset ad equalitatem
gratie et glorie Christi.

30 [5] Quantum autem ad meritum accidentale quod est ex
difficultate operis, sicut in martyrio uel uirginitate, non est dubium
quod merita moderna excedunt merita que tunc fuissent. Si autem
fiat comparatio meritorum personarum singularium status pristini et
moderni, sic dicendum quod tantum possunt homines mereri nunc
35 quantum tunc, set non ita faciliter. Quod patet, quia ubi nullum est
retractiuum a bono, ibi uoluntas promptius et facilius fertur in
bonum; set in statu innocentie nullum fuit retractiuum a bono, sicut
modo est in nobis ex repugnancia carnis ad spiritum; ergo etc. | π181vb

[6] Veruntamen, quia eadem principia bone operationis, scilicet
40 ratio et uoluntas, sunt in bonis que fuerunt in illo statu, nec deest
gratia seu acceptatio diuina bonis operibus nostris, sicut nec bonis
operibus aliorum defuisset, manifestum est quod eque bene potest
nunc operari sicut tunc, licet non eque faciliter, que difficultas aut
non auget meritum, quia non est ex natura operis, set conditione
45 operantis, uel si auget illud pertinet ad meritum accidentale, non
essentiale.

[7] Per hoc patet ad primum argumentum.

[8] Secundum etiam argumentum solum probat quod merita status
moderni excedunt merita status innocentie quoad merita accidentalia.
50 Quod autem in contrarium dicitur, quod merita nostra sunt mixta

23 erimus ... gloria] *Math.*, 22,30

30 Quantum ... 32 fuissent] cf. Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 29, 2, 2, resp. (251b); Ioh. Paris., *Super Sent.*, II, 29, 2, resp. (190,6-18)

44 quia ... operis] In I distinctione 17 questione 3 *i.m. add. π*

demeritis, falsum est; licet enim in nobis sint merita, sint etiam demerita, non sunt tamen permixta, ut ex demeritis minuantur merita extensiuue uel intensiuue, licet fructus eorum impediatur usque ad solutionem reatus demeritorum.

SENTENTIA HVIVS DISTINCTIONIS XXX IN GENERALI ET SPECIALI

[1] *In superioribus insinuatum est.* Superius determinat MAGISTER corruptionem humane nature per peccatum in primo homine. Hic uero determinat qualiter peccatum cum ista corruptione in posteros deuenit. Et diuiditur in quatuor. Primo inquit peccati ordinem et quidditatem. Secundo eius traductione. Tertio ipsius remissionem. Quarto eius aggrauationem, scilicet an peccatum primorum parentum aggraueretur. Secunda ibi in principio distinctionis 31: *Nunc superest inuenire.* Tertia ibi in principio 32 distinctionis: *Quoniam supra dictum.* Quarta ibi in principio 33 distinctionis, ibi: *Predictis adiiciendum.* Prima est presentis lectionis et diuiditur in duas. Primo determinat suum intentum. Secundo excludit obiectiones contrarias. Secunda ibi: *Vnde Augustinus Iuliano.* Primo inquit an sit originale peccatum. Secundo quid sit quantum ad genus moris, utrum scilicet culpa an pena. Tertio quid est quantum ad genus nature. Secunda ibi: *Quod diligenter inuestigandum.* Tertia ibi: *Nunc superest uidere.* Secunda principalis, in qua excludit quasdam obiectiones, diuiditur in tres, secundum tres obiectiones quas excludit. Secunda ibi: *Item inquit Iulianus.* Tertia ibi: *Ad hoc autem quod diximus.* Et hec est sententia et diuisio lectionis in generali.

[2] In speciali sic procedit et proponit primo quod ex peccato primi hominis pena et peccatum in posteros transit, et hoc est originale peccatum; QUIDAM autem intelligunt peccatum ab Adam transisse in posteros, non quod educatur ab eo per originem, set per imitationem; circa quod dicit in hoc MAGISTER errare Pelagium; si enim per solam imitationem diceretur peccatum eius in nos transisse,

2 In ... est] Lomb., *Sent.*, II, 30, 1 (496,3)

DISTINCTIO XXX EXPOSITIO TEXTVS

multo magis debet in nos peccatum transisse a demone, quem primo peccantem postea imitamur. Postea querit quid sit originale peccatum
30 et dicit quod secundum QVOSDAM originale peccatum nihil aliud est quam reatus quidam quo homines sunt obligati ad penam pro peccato primi parentis, secundum tamen ueritatem originale peccatum ponendum est esse originalem culpam a principio per originem traductam. Postea dicit quod ista culpa non est actus
35 hominis, set est quedam concupiscentia uitiosa mala desideria in nobis excitans, que aliquando 'languor nature' dicitur et aliquando 'lex membrorum' uel 'tyrannus' uel 'lex carnis' nominatur, et ex inobedientia dicimur omnes traxisse peccatum, idest malam habilitatem. Postea dicit quod Iulianus hereticus querit per quam
40 uiam tale peccatum subintrat patre non peccante, nec genito, nec etiam conditore. Et respondet AVGVSTINVS quod per inobedientiam primi parentis. Vltimo querit quomodo potuimus omnes esse in Adam secundum carnem, in quo non fuerunt tot athomi quot homines ab eo processerunt. Et respondet AVGVSTINVS quod
45 materialiter uel carnaliter in eo fuimus; aliquid autem ab eo decisum est, ex quo sine alterius materie additione per solam multiplicationem in ipso generatum est corpus filii. Et sic per similem decisionem factam a parentibus multiplicatum est genus humanum uel hominum, et nihil omnino exterius adueniens transit in ueritatem
50 humane nature; quod probat per auctoritatem euangelii et etiam | per rationem, quia in resurrectione habebunt homines perfectam quantitatem sine alicuius materie additione; ergo et modo; non negat tamen MAGISTER quia alimentum transeat in ueram carnem et ossa, set non in ueritatem humane nature. Et in hoc terminatur etc. π181va

QVESTIO PRIMA

VTRVM DEFECTVS QVOS SENTIMVS IN NOBIS INSINT NOBIS A NATVRA

[1] Circa distinctionem istam queritur primo utrum defectus quos sentimus in nobis, scilicet mors, fames, sitis, egritudines et

huiusmodi, insint nobis a natura an sint nobis pena alicuius culpe. Et 5
 uidetur quod insint nobis a natura, quia que sunt unius rationis
 causantur ex principiis unius rationis; set mors et ceteri defectus sunt
 unius rationis in nobis et in brutis; ergo cum in brutis sint a natura et
 non ex culpa, uidetur quod similiter sunt in nobis.

[2] Item in demonibus naturalia remanserunt integra post 10
 peccatum, ergo et in homine; cum igitur homo post peccatum sit
 immortalis, patet quod immortalitas eius non fuit nature, set gratie;
 set in uiuentibus qui non est immortalis per naturam est mortalis per
 naturam; ergo etc.

[3] In contrarium est quia omnis passio inflictia propter culpam est 15
 pena, non natura; set mors est huiusmodi, unde Gen. 2:
Quocunque die ex eo comederis morte morieris; ergo etc.

[4] Responsio. Dicendum quod mors et ceteri defectus sunt in
 nobis a natura tanquam a causa per se, a culpa uero sicut a causa
 remouente prohibens. Primum communiter probatur tali ratione: 20
 omne compositum ex contrariis quorum unum natum est agere in
 aliud est natura sua corruptibile; set corpus humanum et omne
 mixtum est huiusmodi; est enim compositum ex elementis que
 ratione sue contrarietatis agunt inuicem; ergo etc.

[5] Secundum probatur sic: per donum originalis iustitie 25
 prohibebatur omne lesiuum inducens corruptionem in corpore; set
 illud donum est ablatum propter peccatum parentum; ergo peccatum
 est causa corruptionis sicut remouens prohibens. Horum autem
 duorum secundum communiter conceditur. Primum autem
 insufficienter probatur, scilicet quod omne mixtum sit corruptibile, 30
 per hoc quod elementa ex quibus componitur ratione sue
 contrarietatis agunt inuicem. Quod patet, quia actio elementorum in
 mixto non potest intelligi nisi dupliciter. Vno modo, quia unum
 elementum secundum illud quod est agat in aliud; quod esse non
 potest, quia *elementa non manent actu in mixto*, omne autem quod 35

6 que ... 9 nobis] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 30, 1, 1, arg. 2 (765); Aeg. Rom., *Ord.*, II, 30, 1, 3, arg. 2 (412bD-413aA)

15 In ... 17 etc] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 30, 1, 1, sed contra 1 (766); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 30, 1, 1, sed contra 1 (256b); Aeg. Rom., *Ord.*, II, 30, 1, 3, sed contra 1 (413aB)

16 unde ... 17 morieris] *Gen.*, 2,17

18 mors ... 20 prohibens] cf. Thom., *S.th.*, I-II, 85, 5, resp.

20 Primum ... 28 prohibens] cf. Thom., *S.th.*, II-II, 164, 1, ad 1

agit agit secundum quod est ens in actu. Alio modo sic quod una
 qualitas elementaris agat in aliam; quod potest esse adhuc dupliciter:
 uno modo, quia una qualitas agat in aliam sibi contrariam, puta
 calidum in frigidum et humidum in siccum, et econuerso; alio modo
 40 quod una qualitas agat in aliam non sibi contrariam, puta calidum in
 humidum. Primum non potest esse, quia idem secundum idem non
 agit in seipsum; set calidum et frigidum sunt una et eadem qualitas in
 mixto, similiter humidum et siccum; ergo etc. Maior patet. Minor
 probatur, quia si calidum et frigidum essent due qualitates in mixto,
 45 aut distinguerentur secundum subiectum aut solum secundum
 essentiam; non secundum subiectum, quia non quelibet pars mixti
 esset mixta, nec secundum essentiam solum, quia tunc contraria
 essent in eodem subiecto, quod est impossibile; fit ergo in mixto ex
 calido et frigido una qualitas media et similiter ex humido et sicco,
 50 per hoc quod reducuntur ad medium; cum igitur idem non agat in
 seipsum, nec calidum agit in frigidum nec humidum in siccum.

[6] Item non potest dici quod una qualitas agat in aliam non sibi
 contrariam, puta calidum in humidum, quia si calidum ageret in
 humidum, ageret in ipsum uel tanquam in contrarium uel tanquam
 55 in subiectum. Non tanquam in contrarium, ut de se patet, nec
 tanquam in subiectum, tum quia, licet calidum et humidum sint in
 eodem subiecto, unum tamen non est subiectum alterius neque
 econuerso, tum quia illud quod est ratio agendi actione uniuoca, non
 potest esse forma subiecti in quod agit, alioquin idem esset si- | -mul π181vb
 60 in actu formali et in potentia formali, quia subiectum habens talem
 formam, puta calorem, calidum est formaliter, et quia transmutaretur
 ad similem secundum speciem, esset in potentia ad calorem
 formaliter, et sic esset simul actu et formaliter calidum et in potentia
 calidum et formaliter, quod omnes negant cum contradictionem
 65 implicet; set calor est principium et ratio agendi uniuoca, quia
 habens calorem per ipsum causat similem; ergo non potest agere in
 subiectum quod perficit.

[7] Item agens non corrumpit subiectum in quod agit nisi per
 accidens corrumpatur aliquid quod requirebatur ad subiecti
 70 existentiam; si ergo calidum ageret in humidum sibi subiectum, non
 corrumperet ipsum directe nisi corrumpendo aliquid, sine quo non
 posset humidum esse; illud autem non datur; quare etc. Nullo ergo
 modo corrumpitur mixtum per hoc quod elementa ex quibus
 componitur, agunt et patiuntur adinuicem ratione contrarietatis,

sicut dicebatur; in mixto enim non est principium actiuum sue 75
 corruptionis, set passiuum loquendo generaliter, principium uero
 actiuum est extrinsecum, scilicet continens contrarie qualitatis, quod
 immutat contentum a sua naturali dispositione ad innaturalem, et
 per hoc tandem corrumpitur. Vnde PHILOSOPHVS diffiniens
 putrefactionem que est uia ad corruptionem naturalem IV 80
 Meteorologica rum dicit sic: *Putrefactio est corruptio quedam
 in unoquoque humido proprie secundum naturam caliditatis ab aliena
 caliditate, hoc autem est quid ambientis.* Ex quo possumus assignare
 ueram rationem corruptionis in omnibus corporibus sic: omne quod
 per alterius actionem est alterabile a sua naturali dispositione ad 85
 contrariam per naturam corruptibile est; set corpus humanum et
 omne mixtum nec non et omne aliud quod qualitatibus
 elementaribus efficitur est huiusmodi; ergo etc.

[8] Ex quo sequitur quod cum corrumpens sit qualitas extranea
 continentis uel alterius corporis, si esset aliquod corpus homogeneum 90
 simpliciter, et non esset aliqua qualitas alterius corporis ab eo dissona
 ei presens, nunquam tale corrumperetur; forte aliud esset de corpore
 heterogeneo, cuius partes non sunt eiusdem complexionis, sicut est
 corpus hominis, cuius etiam partes habent distinctionem secundum
 situm, quia complexio unius partis non competit alteri, et ideo una 95
 potest aliam transmutare a sua naturali dispositione, et econuerso, et
 per consequens corrumpere.

[9] Ad primum argumentum dicendum quod mors et ceteri
 defectus in homine et in brutis, cum sint unius rationis, causantur ab
 eisdem principiis per se, scilicet a natura, et sic mors in homine est a 100
 natura, non pena; preter hoc autem specialiter in homine causatur a
 culpa primorum parentum non per se, set sicut a remouente
 prohibens ut dictum est, et quantum ad hoc habet rationem pene.
 SENECA solum attendens ad primum dicit quod mors non est
 hominis pena, set natura. 105

[10] Ad secundum dicendum quod immortalitas illius status non
 fuit naturalis simpliciter, set gratie collate nature in sua institutione,
 saltem quoad hoc quod per diuinam prouidentiam conseruabatur ab
 exterioribus lesiuis et positus fuit in loco temperatissimo et

79 Vnde ... 83 ambientis] Arist., *Meteor.*, IV, 1, 379a16-19; transl. Guillelmi

104 Seneca] Sen., *De rem. fort.*, II, 1 (45); *Natur. quaest.*, VI, 32, 12 (293); ap. Thom.,
 Super Sent., II, 30, 1, 1, arg. 1 (765); *De malo*, 5, 4, arg. 1 (136,3-4)

110 nutriebatur cibus confortatiuis et purissimis, ut dictum fuit supra 19
 distinctione questione 2, quibus per peccatum amissis incidit in
 necessitatem moriendi, ratione cuius mors et ceteri defectus sunt
 homini penales, et hoc ei pro pena fuerat connumeratum, ut tangitur
 in argumento ad oppositum.

QVESTIO SECVNDA

VTRVM ALIQVIS DEFECTVS IN NOS PER ORIGINEM TRANSIENS POSSIT
 HABERE NOMEN CVLPE

[1] Secundo queritur utrum aliquis defectus in nos per originem
 5 transiens possit habere proprie rationem culpe. Et uidetur quod sic,
 quia *nullus est filius ire nisi propter culpam*; set *ex natiuitate* sumus filii
 ire secundum illud E p h . 2: *Eramus natura filii ire*; ergo etc.

[2] Item *sicut se habet iustus ad iustos, sic peccator ad peccatores*; set
 secundum ANSELMVM *si homo in iustitia perstitisset iustitiam*
 10 *originaliter in qua creatus erat, in filios transfudisset; ergo quia*
peccauit, culpam suam generando in alios transfundit. |

π182ra

[3] In contrarium est quia nullus culpatur nisi ex his que sunt in
 eius potestate, ut dicitur III E t h i c o r u m ; set illud quod per
 originem trahitur non est in potestate nostra; ergo etc.

15 [4] Responsio. Circa questionem istam uidenda sunt duo. Primum
 est utrum in nobis sit originale aliquod peccatum uel aliqua culpa, et
 secundo, supposito quod sic, utrum illud sit dictum uel
 qualitercunque aliter; utrunque enim istorum proponitur in terminis
 questionis.

110 ut ... III 2] cf. supra, II, 19, 1 (163rb-va)

6 nullus ... ire²] Thom., *Super Sent.*, II, 30, 1, 2, sed contra 1 (770); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 30, 1, 2, sed contra 3 (257a-b); Rich. de Mediau., *Super Sent.*, II, 30, 1, 1, sed contra 1 (372a); Bonau., *Super Sent.*, II, 30, 1, 2, arg. 1 (718a)

7 Eramus ... ire²] *Eph.*, 2,3

8 Item ... II transfundit] Thom., *Super Sent.*, II, 30, 1, 2, sed contra 2 (770); ex Ans., *De conc. virg. et orig. pecc.*, 2 (141,8-9); cf. etiam Bonau., *Super Sent.*, II, 30, 1, 2, arg. 5 (718a)

12 In ... 14 etc] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 30, 1, 2, arg. 1 (769-770); cf. etiam Heru. Nat., *Super Sent.*, II, 23, 1, arg. 1 (271bD)

13 ut ... Ethicorum] Arist., *Eth. Nic.*, III, 5, 1114a28-29

[5] Quantum ad primum tenendum est indubitanter quod in nobis 20
 est per originem aliquid peccatum seu aliqua culpa; et dicere
 oppositum est error Pelagii et Iuliani hereticorum, qui negauerunt in
 paruulis esse quodcunque peccatum tollentes necessitatem baptismi a
 paruulis, ut recitat AVGVSTINVS in diuersis locis. Quod autem
 oporteat ponere in nobis aliquod peccatum originale patet auctoritate 25
 sacre scripture et sanctorum; auctoritas scripture expressa est in P s . ,
 ubi dicitur sic: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum* etc. Illud
 autem non potest intelligi de peccato parentum, cum actus
 matrimonialis quo concipiuntur filii possit esse absque quocunque
 peccato; et dicere oppositum sit erroneum; intelligitur ergo de 30
 peccato filiorum; set quicquid habent filii pro tempore conceptionis
 totum habent a parentibus per originem; ergo aliquid existens in
 paruulis per originem est peccatum quod dicimus originale. Item
 R o m . 5 dicit APOSTOLVS quod in Adam *omnes peccauerunt*; set illud
 non potest intelligi formaliter, quia tunc non erant omnes; 35
 intelligitur ergo originaliter, quia ex eo quod nascuntur mediate uel
 immediate ab Adam qui peccauit, dum in eo essemus, sicut in
 originali principio contraximus originale peccatum. Auctoritates ergo
 sanctorum AVGVSTINI <et> GREGORII complures sunt ad hoc, quas,
 quia MAGISTER Sententiarum satis recitat in litera, ideo hic eas non 40
 infero. Et hec sufficiant quoad primum.

[6] Quantum ad secundum notandum est quod nunc loquimur de
 peccato quod habet rationem culpe et tale oportet esse uoluntarium,
 dicente beato AVGVSTINO libro *De libero arbitrio* quod
 peccatum adeo est uoluntarium quod si non fuerit uoluntarium non 45
 erit peccatum. Ad sciendum ergo an peccatum originale sit peccatum
 proprie seu culpa in paruulo, quia de proprietate solum agitur in hoc
 articulo, oportet uidere an sit proprie uoluntarium. Potest autem
 aliquid dici uoluntarium alicui dupliciter: uno modo uoluntate sua et
 propria personali, alio modo uoluntate alterius, ut postea 50

26 auctoritas ... 33 originale] uide etiam *Quodl. Auen.*, I, 9 (351,15-23)

27 Ecce ... sum] *Ps.*, 50,7

34 Rom ... peccauerunt] *Rom.* 5,12

43 et ... 45 uoluntarium!] cf. Thom., *De malo*, 4, 1, arg. 5 (103,37-40); ex Aug., *De lib. arb.*, I, 1, n.1 (211,4-6 et 11-12); *Contra Adim.*, 26 (184,22-24); etiam ap. Iac. Met., *Super Sent.*, II, 30 (T99rb-va; Vb69rb)

39 et] *suppl.*: om. π 48 sit] *coni.*: si π

declarabitur; nec est dubium quod secundum non est adeo uoluntarium proprie sicut primum, quia uoluntas alterius et actus eius non potest adeo proprie dici uoluntas mea uel uelle meum sicut uoluntas mea personalis et uelle meum personale; omnes autem
 55 DOCTORES et sancti catholici tenent et docent tam uerbo quam scripto quod peccatum originale in paruulo non est uoluntarium uoluntate uel actu uoluntatis personalis ipsius paruuli, set solum a uoluntate primi hominis; unde AVGVSTINVS respondens Iuliano heretico de hoc articulo dicit quod *peccatum illud uoluntate primi*
 60 *hominis seminatum est*; et in hoc concordant omnes sancti DOCTORES quotquot audiui et legi. Constat autem quod peccatum actuale est uoluntarium uoluntate propria et personali ipsius peccantis actualiter; ergo peccatum actuale in adulto est magis proprie uoluntarium, et per consequens magis proprie culpa seu peccatum quam originale in
 65 paruulo. Nec puto quod aliquid sane mentis sentiat oppositum.

[7] Voluntate autem aliena potest esse aliquid uoluntarium dupliciter. Vno modo quando aliquis proprio consensu transfert in alterum suam uoluntatem et auctoritatem ut quicquid alius egerit nomine istius gestum sit; tunc enim quicquid alius agit reputatur esse
 70 uoluntarium isti ex precedente mandato uel consensu generali, etiam si res gesta ei displiceat quando innotescit; et hoc modo peccatum paruulorum non potest esse uoluntarium, quasi paruuli proprio actu uoluntatis sue preconsenserint in illud quod Adam erat factururus; hoc enim dicere de paruulis, qui nondum erant, esset absurdum. Alio
 75 modo potest aliquid dici esse uoluntarium uoluntate aliena, quando uoluntas unius dicitur seu interpretatur esse uoluntas alterius, quia unus aliquo modo continetur in alio, sicut ponitur exemplum satis conue- | -niens a doctoribus de milite cui, si detur castrum pro se et
 80 filiis, si fidelitatem regi seruauerit, uoluntas patris in seruando uel non seruando fidelitatem est interpretatiue uoluntas filiorum quoad consecutionem uel amissionem castri, quia sicut est ipsi datum non solum pro se, set pro posteris, sic seruat uel amittit non solum pro se, set posteris. Et hoc modo uoluntas Ade dicitur fuisse uoluntas
 85 omnium posterorum, qui descensuri erant ab eo per uiam naturalis generationis mediate uel immediate, quia ipsi pro se et pro tota posteritate collatum fuit a Deo munus iustitie originalis, que consistebat in rectitudine uoluntatis ad Deum, et inobedientia

π182rb

uirium inferiorum ad rationem, et in hoc quod in corpore nihil poterat accidere repugnans anime. Et quia tunc non eramus, nisi quia in ipso eramus sicut in originali principio, ideo uoluntas eius, qua 90 peccando amisit predictum munus sibi pro se et pro nobis, collatum fuit interpretatiue uoluntas non solum eius, set nostra. Et quia defectus huiusmodi originalis iustitie in nobis uel aliquid circa hoc dicitur esse peccatum originale, ut in sequente questione patebit, ideo tale peccatum dicitur fuisse uoluntarium, non uoluntate personali 95 huius uel illius paruuli, set uoluntate Ade, que predicto modo fuit interpretatiue uoluntas omnium qui tunc erant in ipso sicut in originali principio.

[8] Iuxta quod etiam est aduertendum quod ipsi Ade fuit aliquid per se et directe uoluntarium, puta complacere uxori in comedendo 100 de fructu per uxorem oblato, aliquid autem fuit ei uoluntarium non directe et per se, set solum concomitatiue et ex quadam consequentia, scilicet priuari pro se et pro posteritate originali iustitia; hoc enim non fuit per se et directe per Adam uoluitum, set sequutum est in ipso et in nobis ad peccatum eius actuale et uoluntarium, et forte 105 secundum se fuit inuoluntarium; credibile enim est quod Ade displicuit quando sciuit primo se tali dono priuatum. Patet ergo quod peccatum originale non est in paruulo uoluntarium personali uoluntate paruuli quem ad modum peccatum actuale est uoluntarium propria et persona uoluntate peccantis actualiter, et ideo 110 non est illo modo proprie peccatum uel proprie culpa, et sic intellexi ubicunque alias siue asserendo siue recitando siue absolute siue sub conditione dixi uel scripsi peccatum originale non esse proprie peccatum uel culpam; patet etiam quod non est uoluntarium uoluntate aliena eo modo quo gestum per alterum aliquid dicitur 115 uoluntarium esse illi qui propria sponte transtulit suam uoluntatem seu auctoritatem in illum alterum, quia talis consensus non potest fingi in paruulis nondum natis.

[9] Restat ergo quod illud peccatum fuerit uoluntarium <in> paruulo uoluntate uidelicet Ade, in quo erat sicut in originali 120 principio. Et adhuc defectus ille qui dicitur originale peccatum in paruulo non fuit per se et directe uoluntarius uoluntate Ade, set solum concomitatiue et per quandam consequentiam, ut dictum fuit. Qui ergo reputat quod tale uoluntarium uoluntate aliena non directe,

DISTINCTIO XXX QVESTIO III

125 set concomitatiue, sit proprie uoluntarium talis potest dicere quod
peccatum originale in paruulo fit ei proprie culpa, qui autem non
reputat hoc proprie uoluntarium, set solum interpretatiue, talis
necessario habet dicere quod peccatum originale non sit proprie
culpa, sicut est actuale, set solum interpretatiue; semper tamen
130 fatendum est in paruulis esse peccatum originale seu culpam, siue
modus loquendi sit proprius siue alius.

[10] Ad primum argumentum dicendum quod sicut Deus dicitur
iratus non secundum affectum, set effectum, inquantum preparat
penam alicui uel infligit, sic nos nascimur filii ire propter reatum
135 pene quem incurrimus ex peccato primi parentis.

[11] Ad secundum dicendum quod Adam, quia peccauit, transfudit
in posteros naturam ream carentie iustitie originalis; set non
transfudit culpam secundum propriam rationem culpe eo modo quo
peccatum actuale dicitur proprie culpa, que est defectus uoluntarius
140 proprie, et ex propria et personali uoluntate illius cuius est peccatum.

[12] Ad argumentum alterius partis dicendum quod PHILOSOPHVS
non nouit nisi peccatum actuale, quod est in potestate et libertate
peccantis ut fiat uel non fiat, et tale habet propriissime rationem
culpe. Ex originali au- | -tem non sic culpatur paruulus sicut ex *π182va*
145 actuali adultus, set solum imputatur ei ad culpam defectus, quem
habet quatenus fuit in potestate et uoluntate sui originalis principii
modo quo dictum est.

QVESTIO TERTIA

VTRVM ORIGINALE PECCATVM SIT CARENTIA ORIGINALIS IUSTITIE AN ALIQUID ALIUD

[1] Tertio queritur utrum originale peccatum sit carentia originalis
5 iustitie an aliquid aliud. Et arguitur quod non sit carentia originalis
iustitie, quia illud non est aliquod peccatum quod inest nobis a Deo,
quia Deus non est author peccati, set ultor; set carentia originalis
iustitie inest nobis a Deo; ergo etc. Minor probatur, quia sicut Deus
per suam influentiam est causa gratie et per cessationem sue
10 influentie est causa carentie gratie, ita uidetur esse circa iustitiam

originalem et eius carentiam, cum iustitia originalis fuerit donum supernaturale sicut gratia.

[2] In contrarium arguitur quia omne peccatum in eo quod est malum formaliter consistit in carentia alicuius perfectionis debite inesse; set illa perfectio respectu peccati originalis non potest esse 15 actus nec in actu, quia tunc originale esset actuale; ergo est habitus, non naturalis, quia naturalia post peccatum remanserunt integra in hominibus sicut in demonibus, ergo fuit supernaturalis; set illa non uidetur fuisse nisi iustitia originalis, ergo eius carentia est peccatum originale. 20

[3] Responsio. Circa questionem istam procedetur sic quia primo ponentur duo modi dicendi seu due opiniones circa materiam istam. Et secundo inuestigabitur in quo conueniant uel differant, concludendo cum hoc quid sit tenendum.

[4] Primus modus est quem MAGISTER Sententiarum recitat in 25 litera dicens sic: diligenter inuestigandum est quid sit; de hoc enim sancti doctores obscure loquuti sunt atque scholastici doctores uarie senserunt; QUIDAM enim putant originale peccatum esse reatum pene pro peccato primi hominis, idest debitum uel obnoxietatem, qua obnoxii uel addicti sumus pene temporali et eterne pro primi 30 hominis actuali peccato, quia pro illo, ut aiunt, debetur pena eterna omnibus, nisi per gratiam liberentur. Hec sunt uerba MAGISTRI Sententiarum, ex quibus apparet quod ipse non reputat hanc opinionem heresim Pelagianam uel ei propinquam, sicut QUIDAM inconsiderate dixerunt; immo recitata heresi Pelagii, qui dicit quod ex 35 peccato primi parentis nihil transit in postero propagatione, set solum imitatione, et reprobata illa subiungit hanc opinionem, connumerans eam inter opiniones sanctorum doctorum et scholarium, ut clare patet ex uerbis eius statim positis.

[5] Hec autem opinio coloratur a QVIBUSDAM sic: nihil quod sit in 40 paruulo per originem est ei culpa nisi quod fuit Ade culpa; set nullus defectus existens per originem in paruulo fuit uel potuit dici culpa Ade nisi reatus pene uel pena cum reatu; ergo hoc est peccatum originale in paruulo. Vtraque premissarum probatur, et primo maior sic: omnis defectus qui habet rationem peccati uel culpe magis est 45 peccatum illi cui est magis uoluntarium, quia de ratione peccati uel culpe est uoluntarium, sine quo non est culpa uel peccatum; set secundum omnes doctores sanctos et alios omnis defectus existens in paruulo ab origine habet magis rationem uoluntarii respectu Ade uel

50 ipsi Ade quam paruulo, immo non habet rationem uoluntarii in paruulo nisi ratione Ade; ergo omnis defectus existens per originem in paruulo habet magis rationem culpe respectu Ade quam respectu paruuli uel ipsi Ade quam paruulo; et hec fuit maior. Minor probatur, quia nihil fuit uel potuit dici culpa Ade nisi quo peccauit
 55 uel pena uel reatus; hec enim omnia quandoque dicuntur peccata, actus autem secundum se non transit nec transire potuit in posteros; transiuit autem quoad reatum et penam, quia ex eius peccato non solus ipse, set omnes peccati incurrunt penam et reatum pene; ergo pena cum reatu uel reatus pene existens in posteris potuit dici aliquo
 60 modo culpa Ade, et nihil aliud existens in paruulis, | ut istis uidetur; π182vb et hec fuit minor; sequitur ergo conclusio, scilicet quod illud idem, uidelicet reatus pene, fit peccatum originale in paruulis.

[6] Secundo probant idem sic: APOSTOLVS tractans hanc materiam Rom. 5 comparat demeritum Ade merito Christi, dicens quod *sicut*
 65 *per unius inobedientiam*, scilicet Ade, *peccatores constituti sunt multi, ita per unius obedientiam*, scilicet Christi, *iusti constituentur multi*; set ex merito obedientie Christi, quo efficimur iusti, non fit in nobis nisi donum gratie aequaliter debite propter eius meritum; ergo similiter ex peccato Ade non fit in nobis nisi carentia alicuius doni prius habiti
 70 ab ipso et debiti habere a nobis, et sic propter eius demeritum efficimur peccatores, quia rei uel obnoxii sumus huius carentie; propter quod talis reatus uidetur secundum istos esse illud peccatum originale quod ex actuali peccato Ade contraximus. Et confirmatur consequentia, quia, ut in eodem capitulo subditur, magis fuit donum
 75 Christi quam delictum Ade; et ideo plus potuit meritum Christi in nobis quoad iustificationem quam peccatum Ade quoad condemnationem.

[7] Item declarant idem tertio sic. In eodem capitulo circa principium dicit APOSTOLVS: *Sicut per unum hominem peccatum*
 80 *intrauit in mundum*, et subdit qualiter, dicens: *in quo omnes peccauerunt*, et, ut exponit MAGISTER Sententiarum in litera, siue intelligitur in quo homine siue in quo peccato sanum est; in Adam enim omnes peccauerunt ut in originali principio, non solum eius exemplo, ut dicunt Pelagiani; omnes enim ille unus homo erat; ita

63 Apostolus ... 66 multi] Rom., 5,19

74 magis ... 77 condemnationem] Rom., 5,15-16

79 Sicut ... 81 peccauerunt] Rom., 5,12

etiam in illo uno peccato quod intraret in mundum recte omnes 85
dicuntur peccasse, quia sicut ab uno homine, sic uno et eodem
peccato immunes esse non possunt, nisi ab eius reatu per Christi
baptismum absoluantur. Hec sunt uerba eius, ex quibus patet quod
omnes peccauerunt in Adam, et peccato suo, quia eius reatum
incurrunt, ratione cuius carent originali iustitia, et carebunt uisione 90
diuina secundum communem legem, nisi ab hoc reatu per
baptismum absoluantur, ut MAGISTER subiungit; in quo uidetur
innuere quod aliter non peccauerunt omnes in Adam nec in peccato
eius, nisi quia incurrerunt propter illud peccatum reatum pene
temporalis et eterne predicte. 95

[8] Contra predictam opinionem arguit MAGISTER et soluit.
Arguitur: si peccatum originale est reatus, ergo non est culpa nec
pena, quia reatus neutrum predictorum est; illud autem uidetur
inconueniens; quare etc. Et respondet dicens quod QUIDAM eorum 100
qui predictam opinionem tenent admittunt quod peccatum originale
non sit proprie culpa nec pena, nisi eo modo quo reatus uocatur
culpa, et certum est quod scriptura et communis modus loquendi
satis habet, quod reatus uocetur culpa; nos enim consueuimus dicere
aliquem manere in peccato, quando est reus pene eterne debite pro
peccato, licet non maneat in actu peccandi, nec in uoluntate 105
peccandi.

[9] Secundus modus est quod *peccatum originale est carentia iustitie
originalis debite* haberi. Quod declaratur sic: uoluntarius defectus seu
carentia alicuius perfectionis necessarie ad salutem est peccatum; set
in paruulo carentia iustitie originalis debite haberi est talis defectus 110
seu carentia; ergo est peccatum. Maior de se patet ex ratione culpe
seu peccati, que est esse uoluntarium malum. Minor declaratur, quia
secundum ordinem primitus a Deo institutum iustitia originalis fuit
homini necessaria ad salutem consequendam; et hec collata fuit Ade
pro se et pro tota posteritate quam peccando amisit uoluntarie pro se 115
et pro tota posteritate; et ideo carentia eius cum debito habendi eam
est defectus alicuius perfectionis necessarie ad salutem secundum
ordinem primitus institutum; est etiam defectus uoluntarius totius

107 peccatum ... 108 haberi] Heru. Nat., *Super Sent.*, II, 30, 2 (33,1-3); Thom., *S.th.*, I-II, 82, 1, arg. 1; *De malo*, 4, 1, arg. II (104,87-88); *Super Sent.*, II, 30, 1, 3, sol. (774); *S.c.g.*, IV, 52 (508b); ex Ans., *De conc. uirg. et orig. pecc.*, 27 (170,15-21)

nature ex uoluntate Ade, in quo dum peccauit fuit tota natura sicut
 120 in principio originali; quare etc.

[10] Nunc restat uidere quomodo isti duo modi conueniant uel
 differant. Et uidetur quod non differant in re, quia peccatum
 originale non potest consistere in sola carentia originalis iustitie, quia
 talis carentia fuisset in homine constituto in puris naturalibus, in quo
 125 non fuisset aliquod peccatum uel aliqua culpa, quia talis perfectio
 non fuisset debita haberi ab eo; omne autem malum est priuatio
 alicuius boni debiti haberi. Item nec potest consistere in tali carentia | *π183^{na}*
 cum debito habendi nisi sit aliquo modo uoluntaria, quia nullum est
 peccatum nisi uoluntarium; unde si aliquid debitum haberi
 130 perderetur per uolentiam simpliciter, ita quod amissio nullo modo
 esset uoluntaria, nec antecedenter nec alio quocunque modo nullum
 esset peccatum. Requiritur ergo, quod si illa carentia sit peccatum,
 quod sit uoluntaria, set non nisi a uoluntate Ade, que, ut dictum est,
 potest interpretatiue dici uoluntas nostra. Non fuit autem aliter
 135 uoluntaria uoluntate Ade, nisi quia uoluntas Ade uel actus uolendi
 ipsius meruit quod talis perfectio, uidelicet iustitia originalis, ipsi et
 posteris auferetur; unde ex peccato uoluntario Ade dignum seu
 debitum fuit quod tam ipse quam posterii carerent iustitia originali.
 Et indignum fuit quod eam amplius haberent, et in ista dignitate seu
 140 debito carendi tali dono uel indignitate habendi tale donum consistit
 formaliter ratio peccati originalis, que in nullo aliorum sine hoc est
 aliquod peccatum; quod etiam expresse dicunt ALIQVI illorum qui
 ponunt secundum modum, dicentes quod peccatum originale est
 carentia iustitie originalis debite haberi cum indignitate habendi eam
 145 uel cum dignitate uel debito carendi ea.

[11] Ex quo potest sic argui: esse dignum pena est esse reum pene,
 et dignitas pene est reatus pene proueniens ex aliqua culpa; set esse
 dignum carere iustitia originali debita esse est dignum pena, quia
 carentia iustitie originalis debite est quedam pena damni; ergo esse
 150 dignum carere iustitia originali est esse reum talis pene, que est
 carentia iustitie originalis debite, et talis dignitas est reatus; qui ergo
 ponit quod peccatum originale consistit in hoc quod est esse dignum
 carere iustitia originali debita, sicut illi de secundo modo realiter
 ponunt quod consistit in hoc quod est esse reum tali carentia, quia
 155 talis dignitas est reatus, et econuerso. Et hoc est quod dicunt tenentes
 primum modum, et sic inter primum modum et secundum non

uidetur esse differentia in re, set solummodo in uerbis, de quibus non debet esse controuersia quando constat de rebus.

[12] Nunc ergo restat ponere quid tenendum sit in hac materia. Et est dubitanter tenendum quod in paruulis est peccatum originale, 160 cum hoc dicat sacra scriptura, que est a Deo inspirata, set quid sit? Necessse est autem quod sit unum trium que incurrimus propter demeritum peccati primorum parentum. Primum est carentia iustitie originalis, quam debeamus habere et habuissemus ex dono facto primis parentibus pro se et pro posteris, si non peccassent; et quia 165 peccauerunt, indigni sumus eam habere et digni ea carere tanquam rei talis pene seu carentie ratione predicte culpe. Secundo est in nobis rebellio uirium sensitiuarum ad rationem. Et tertio est in corpore possibilitas et mortalitas.

[13] Quod autem trium istorum sit, seu uocetur peccatum 170 originale, non inuenio quod aliquis dixerit ipsum esse mortalitatem seu passibilitatem, quia ista magis se tenent ex parte corporis, peccatum autem magis ex parte anime. MAGISTER autem Sententiarum dicit ipsum esse habitualement concupiscentiam seu concupiscibilitatem uel fomitem aut legem carnis et membrorum, 175 languorem nature et tyrannum, que omnia accipit pro uno et eodem, scilicet pro rebellione uirium sensitiuarum ad rationem, quanuis ex diuersis rationibus. Et hec sententia MAGISTRI tangit illud quod est materiale in peccato originali, et non illud quod est formale, ut ALII doctores dicunt communiter. 180

[14] Communior autem opinio est quod peccatum originale est carentia iustitie originalis cum debito habendi eam et dignitate carenti ea; quam dignitatem ALII nominant reatum, concordantes in re significata, set differentes in nominatione; teneamus ergo rem que ab omnibus tenetur communiter, et uerbosi, contentiosi, calumniosi 185 et malitiosi homines disputant de nominibus.

[15] Ad argumentum in oppositum dicendum quod carentia originalis iustitie est in nobis a Deo tanquam subtrahente iuste a nobis donum suum propter demeritum primorum parentum; set in hec carentia precise non consistit formaliter originale peccatum, set 190 in esse dignum uel reum talis carentie; hec autem dignitas uel reatus non est in nobis a Deo, set ex peccato primorum parentum.

π183rb [16] Argumentum pro altera parte satis concludit quod | peccatum originale satis includit carentiam originalis iustitie, set non probat

195 quin plus includat; includit enim debitum habendi et dignitatem
carendi, quam dignitatem ALII uocant reatum.

QVESTIO QVARTA

VTRVM ALIMENTVM CONVERTATVR IN VERITATEM NATVRE HVMANE

[1] Post hec queritur utrum alimentum conuertatur in ueritatem
humane nature. Et uidetur quod non, quia quod transit in ueritatem
5 alicuius nature transit in eius speciem; set alimentum non transit in
carnem humanam secundum speciem, set in carnem secundum
materiam, ut patet ex I D e g e n e r a t i o n e; ergo etc.

[2] Item *si alimentum transiret in ueritatem humane nature,*
quicquid in homine deperditur restaurari posset; set mors naturalis non
10 *accidit nisi propter deperditionem alicuius quod non restauratur; ergo*
per sumptionem alimenti homo posset mortalitatem naturalem euitare;
quod est falsum.

[3] In contrarium arguitur quia quod est in naturali potentia ut sit
tale per agens naturale efficitur actu tale; set alimentum est potentia
15 caro, ut dicitur II D e a n i m a; ergo efficitur actu caro per
aliquod agens naturale; illud autem est uirtus nutritiua in homine,
que se habet ad nutrimentum ut agens ad proprium passiuum; ergo
etc.

4 quod² ... 7 etc] cf. Thom., *S.th.*, I, 119, 1, arg. 2; cf. etiam *Super Sent.*, II, 30, 2, 1, arg. 2 (776); *Quodl.*, VIII, 3, art. unic., arg. 1 (60,7-13); *Aeg. Rom.*, Ord., II, 30, 2, 1, arg. 2 (425aD-bA)

7 ut ... generatione] Arist., *De gen. et corr.*, I, 5, 321b21; Iac. Met., *Super Sent.*, (T97va-b; Vb68ra)

8 Item ... 12 falsum] Thom., *S.th.*, I, 119, 1, arg. 4; Rich. de Mediau., *Super Sent.*, II, 30, 5, 1, arg. 6 (379b-380a)

13 In ... 18 etc] cf. Heru. Nat., *Super Sent.*, II, 23, 2, arg. 6 (275bD); *Aeg. Rom.*, Ord., II, 30, 2, 1, sed contra 1 (425bD); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 30, 4, 1, sed contra 3 (261a); Rich. de Mediau., *Super Sent.*, II 30, 5, 1, sed contra 2 (380a); Iac. Met., *Super Sent.*, II, 30 (T98rb; Vb68rb)

15 ut ... anima] Arist., *De an.*, II, 4, 416b10; cf. etiam *De gen. et corr.*, I, 5, 322a27

[4] Responsio. QVICVNQVE ponunt *alimentum non conuerti in ueritatem humane nature, set ipsum esse quoddam fomentum* 20 prohibens consumptionem humidi radicalis ad modum quo plumbum positum in fornace prohibet consumptionem argenti uel auri, ut MAGISTER uidetur sentire in litera, aut QVICVNQVE dicunt alimentum aliter conuerti in ueritatem humane nature, set non eque pure, ut illud quod preexistit, sicut posuit ALEXANDER, que opiniones 25 in scriptis communibus sunt satis lucide, mouentur ex uno motiuo, quia uidetur eis quod si per conuersionem alimenti in naturam nutrici restauretur deperditum, cum continue fiat deperditio, tandem posset contingere quod homo, tamdiu uiueret, quod nihil de materia que fuit in eo in principio uite sue maneret in fine, quia quicquid est 30 a principio foret per continuam consumptionem successiue deperditum, et maneret solum illud quod ad restaurationem deperditi esset ex alimento couersum. Ad hoc autem sequitur quod non esset idem homo numero in fine et in principio, cum ad identitatem numeralem requiratur identitas materie et forma. Hoc autem est 35 manifestum inconueniens; ideo ponunt quod aliquid unum et idem numero quod pertinet ad ueritatem humane nature, semper permanet in homine, cuius unitate permanet idem homo.

[5] Istud autem oportet timere; si enim fieret deperditio secundum determinatam partem solum, puta secundum manum uel pedem, et 40 in illam uel ad restaurationem eius determinate conuerteretur alimentum, et postmodum fieret alterius partis signate deperditio, et eius per alimentum restauratio, et sic ita semper, ut distingueretur situ et loco illud quod ex alimento conuertitur, ab eo cui additur, forte uerum esse illud quod dicunt, scilicet quod non esset simpliciter 45

19 Quicumque ... 23 litera] ap. Thom., *S.th.*, I, 119, 1, resp.; *Super Sent.*, II, 30, 2, 1, sol. (778); *Quodl.*, VIII, 3, art. unic., resp. (62,91-121); Heru. Nat., *Super Sent.*, II, 23, 2, resp. (276bB-C); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 30, 4, 1, resp. (261b); Rich. de Mediau., *Super Sent.*, II, 30, 5, 1, resp. (380a-b); Iac. Met., *Super Sent.*, II, 30 (T97vb; Vb68ra-b); Guill. Petr. de God., *Lect. Thom.*, II, 31, 1 (G47va); Bonau., *Super Sent.*, II, 30, 3, 1, resp. (728a) 23 ut ... litera] Lomb., *Sent.*, II, 30, 14, n.2 (504,11-12)

quicumque ... 25 Alexander] ap. Thom., *S.th.*, I, 119, 1, resp.; *Super Sent.*, II, 30, 2, 1, sol. (782-783); *Quodl.*, VIII, 3, art. unic., resp. (62,113-63,199); cf. etiam Bonau., *Super Sent.*, II, 30, 3, 1, resp. (730a-b); Heru. Nat., *Super Sent.*, II, 23, 2, resp. (276bD-277aA); Iac. Met., *Super Sent.*, II, 30 (T97va; Vb68ra)

25 sicut ... Alexander] cf. Auerr., *In De gener.*, I, comm. 38 (48,34-49,51)

27 uidetur ... 36 inconueniens] cf. Thom., *S.th.*, I, 119, 1, arg. 5; *Super Sent.*, II, 30, 2, 1, arg. 4 (777); Heru. Nat., *Super Sent.*, II, 23, 2, arg. 5 (275bC); Rich. de Mediau., *Super Sent.*, II, 30, 5, 1, arg. 5 (379b)

idem animal in principio et fine, quia materia alimenti non acciperet formam preexistentem in materia nutriti, set esset eius forma distincta, sicut ponitur materia alimenti adueniens, distincta a materia nutriti preexistente. Vnde post aduentum alimenti et
 50 receptionem forme in ea seorsum a materia nutriti animal esset aliud secundum partem quam prius, et post consumptionem secunde partis et alimentum restaurationem esset aliud secundum duas partes per eandem rationem. Et finaliter esset aliud secundum omnes partes, et ita totaliter esset aliud; non sic autem est, immo alimentum sic
 55 conuertitur ut non sit seorsum signare illud quod conuersum est ex alimento, et illud quod preexistebat in nutrito; set efficitur idem simpliciter in toto et in parte, ac per hoc manet animal idem simpliciter in toto et in parte.

[6] Et potest ex hoc formari talis ratio. Illud non uariat
 60 indiuiduum in toto uel in parte quod manet in indiuiduo idem | *π183va* in toto uel in parte; set non obstante conuersione alimenti in ueritatem humane nature nutriti materia manet eadem simpliciter in toto et in parte; ergo etc. Maior patet. Minor probatur; quod enim adueniente alimento materia non sit alia in toto quam prius clarum est, quia
 65 materia animalis non tota simul deperditur, ita ut forma fiat precise et totaliter in alia materia, quia iam uera esset corruptio unius animalis et uera generatio alterius, et non nutritio. Item neque est alia in parte, quia illa partialitas esset uel secundum essentiam materie <uel secundum quantitatem: non secundum essentiam materie>, quia
 70 materia secundum se partem non habet, set est indiuisibilis; nec secundum quantitatem, quia illud quod ex alimento conuersum est non differt secundum situm quantitatis ab eo cui aduenit, set est eadem numero quantitatis, et est eadem pars quantitatis utrunque perficiens; est igitur eadem materia que prius in toto et in parte.

75 [7] Causa enim hinc accipienda est; materia enim sit pure potentia; sicut secundum se non est actu, sic secundum se non est una uel plures actu, set per formam, que est sua actualis entitas, est et sua actualis unitas uel pluralitas; propter quod tota materia que est sub aliqua una forma substantiali est una et eadem substantialiter et
 80 essentialiter, nec est ibi dare diuersitatem aliquam, nisi forte secundum quod extenditur per quantitatem, ex qua sortitur quandam partialitatem uel diuersitatem, quam tamen diuersitatem

non est assignare inter illud quod conuersum est ex alimento, et illud quod preexistebat in nutrito, ut dictum est, ideo utrunque est simpliciter unum essentialiter et quantitatie, ac per consequens 85 idem simpliciter quod prius in toto et in parte.

[8] Hec autem sufficienter probata sunt, si concedatur quod post deperditionem et consumptionem factam in corpore animalis forma manet eadem simpliciter in parte et in toto, et quod sub ipsa 90 manente sic eadem fiat illud quod conuertitur ex alimento. Si uero per consumptionem uel resolutionem factam a corpore forma uarietur in toto uel in parte uel per aduentum nutrimenti uarietur aliquo modo forma nutriti, iam non uidetur quod maneat simpliciter idem animal quod prius, cum ex forma iudicetur tota identitas uel 95 uarietas rei.

[9] Posset autem alicui uideri quod per resolutionem factam a corpore uel nutrimento adueniente forma nutriti in aliquo uarietur saltem in aliis ab homine, quia forma que non est separabilis a materia cum desinit esse in materia, desinit simpliciter esse; et cum incipit esse in materia, incipit simpliciter esse; set omnes forme 100 uiuentium preter formam rationalem sunt inseparabiles a materia; ergo cum desinunt esse in materia, desinunt simpliciter esse, et cum incipiunt esse in materia, incipiunt simpliciter esse; set in deperditione que fit in corpore animali forma secundum aliquid sui desinit esse in materia, quia materia que fuit sub forma animalis 105 secundum aliquid sui desinit esse sub ea. Alioquin nulla fieret resolutio a uarietate nature, similiter in nutritione forma nutriti secundum aliquid sui incipit esse in materia, sicut et aliquid materie que prius non fuit sub forma nutriti incipit esse sub ea; ergo, ut uidetur, per resolutionem factam a corpore uel nutrimentum 110 adueniens uariatur forma nutriti secundum aliquid sui.

[10] Et dicendum quod, si fieret resolutio alicuius partis determinate et distincte secundum situm ab aliis uel in nutritione, fieret talis partis additio procul dubio per resolutionem factam a corpore et nutritionem; similiter forma nutriti secundum aliquid 115 uarietur, quia forma que extenditur extensione materie diuisione partis a toto diuiditur et corruptione talis partis corrumpitur secundum partem. Et proportionabiliter est dicendum in additione talis partis; set cum sit resolutio alicuius indistincti, id quod resoluitur priuatur quidem forma sub qua erat; set forma totius in 120 nullo uariatur essentialiter, quia nihil distinctum ipsius forme

perficiebat illud quod resolutum est. Et proportionabiliter intelligendum est in additione que fit per nutritionem; propter quod sicut in nutritione sit uera corruptio alimenti absque uera et propria
 125 generatione nutriti, sic in resolutione absque uera et propria corruptione animalis secundum totum uel partem sit uera generatio uermis uel alterius rei in materia a corpore resoluta.

[11] Ad primum argumentum dicendum quod PHILOSOPHVS | non ^{π183vb} uocat carnem secundum materiam eo quod careat forma carnis per
 130 quam pertinet ad entitatem et unitatem nature carnis, quia *quod adnegatur ex alimento adiungitur corpori nutrito per modum cuiusdam mixtionis, sicut aqua miscetur uino, ut ibidem ponit exemplum PHILOSOPHVS*, talium autem efficitur una natura, set uocat carnem secundum materiam carnem consideratam secundum naturam
 135 materie que ut sic aduenit et recedit, carnem uero secundum speciem eandem consideratam secundum materiam forme, que ut sic manet semper eadem in toto et in parte, ut declaratum est.

[12] Ad secundum dicendum quod *sicut uirtus uini conuertentis aquam paulatim per admixtionem aque debilitatur ut tandem fiat*
 140 *aquosum*, sic uirtus conuersiua alimenti, primo quidem fortis existens, postea debilitatur, deinde deficit ita ut neque possit aliquid conuertere, et tunc fit consumptio sine restauratione, et necesse est animal naturaliter mori.

QVESTIO QVINTA

VTRVM SEMEN SIT DE SVPERFLVO ALIMENTI

[1] Deinde queritur utrum semen sit de superfluo alimenti. Et uidetur quod non, quia instrumentum non recipit uirtutem principalis

128 Ad ... 137 est] Thom., *S.th.*, I, 119, 1, ad 2; *Super Sent.*, II, 30, 2, 1, ad 2 (785); *Quodl.*, VIII, 3, art. unic., ad 1 (64,254-276); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 30, 4, 1, ad 5 (263a); Guill. Petr. de God., *Lect. Thom.*, II, 31, 2 (G47vb)

132 ut ... Philosophus] Arist., *De gen. et corr.*, I, 5, 322a9

138 sicut ... 140 aquosum] ap. Thom., *S.th.*, I, 119, 1, ad 4; ex Arist., *De gen. et corr.*, I, 5, 322a31

sicut ... 143 mori] Thom., *S.th.*, I, 119, 1, ad 4

3 semen ... alimenti] cf. *Auct. Ar.*, 9, 177 (223,00); Arist., *De gen. an.*, I, 18, 726a26-27; IV, 1, 766b7-8

agentis nisi per unionem ad ipsum; set semen habet in se uirtutem 5
generandi instrumentaliter deriuatam ab anima patris; ergo hoc est
per unionem quam habuit cum anima patris; set omne unitum
anime patris est de substantia eius et non de superfluo; ergo etc.

[2] Item *DAMASCENVS dicit quod generatio est opus nature, de
substantia generantis producentis id quod generatur; set illud quod* 10
generatur in uiuentibus generatur ex semine; ergo etc.

[3] Item *filius assimilatur patri secundum illud quod accipit ab ipso;*
set si semen esset de superfluo alimenti et non de substantia
generantis, plus acciperet filius a porco uel a boue cuius carnes pater
comedit quam a patre; ergo plus deberet assimilari porco uel boui 15
quam patri; quod est fasum.

[4] In contrarium est quia natura non alleuiatur quando aliquid de
substantia rei deciditur, set magis grauatur; set per decisionem
seminis natura alleuiatur; ergo etc.

[5] Responsio. Sicut circa precedentem questionem sunt opiniones, 20
sic circa istam. QUIDAM enim, tam philosophi quam theologi,
ponunt quod semen est aliquid decisum a substantia et a uirtute
nature generantis, alia tamen et alia ratione. Theologi enim hoc
posuerunt propter traductionem peccati originalis, quod non
credebant posse traduci cum semine, nisi semen esset de substantia 25
generantis, quia per hoc uidetur peccatum originale traduci a parente
in prolem quia aliquid prolis fuit infectum in parente quod cum sua
infectione deriuatur in prolem. Motiuum autem philosophorum fuit
ex assimilatione prolis ad parentem, que similiter non uidetur esse

9 Item ... 11 etc] Thom., *S.th.*, I, 119, 2, arg. 1; *Super Sent.*, II, 30, 2, 2, arg. 2 (788); Petr. de
Tarant., *Super Sent.*, II, 30, 4, 2, arg. 2 (263b); Rich. de Mediau., *Super Sent.*, II, 30, 5, 2,
arg. 1 (383a); Aeg. Rom., *Ord.*, II, 30, 2, 2, arg. 1 (431aA)
Damascenus] Ioh. Dam., *De fid. orth.*, I, 8, n.3 (31,68-69)

12 filius ... ipso] Thom., *S.th.*, I, 119, 2, arg. 2

13 set ... 16 fasum] cf. Thom., *S.th.*, I, 119, 2, arg. 3; *Super Sent.*, II, 30, 2, 2, arg. 5 (788);
Aeg. Rom., *Ord.*, II, 30, 2, 2, arg. 5 (431aA); Heru. Nat., *Super Sent.*, II, 23, 3, arg. 1
(278aD); Rich. de Mediau., *Super Sent.*, II, 30, 5, 2, arg. 4 (383a)

17 In ... 19 etc] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 30, 2, 2, sed contra (790); Petr. de Tarant.,
Super Sent., II, 30, 4, 2, sed contra 4 (264a); Rich. de Mediau., *Super Sent.*, II, 30, 5, 2, sed
contra 2 (383b)

21 Quidam ... 31 utriusque] ap. Thom., *Super Sent.*, II, 30, 2, 2, sol. (790-791)

23 Theologi] ap. Thom., *Super Sent.*, II, 30, 2, 2, sol. (791); ex Lomb., *Sent.*, II, 30, 14, n.3
(504,14-23)

28 Motiuum ... philosophorum] ap. Thom., *Super Sent.*, II, 30, 2, 2, sol. (790)

30 nisi propter aliquid utrique commune quod similiter est in prole a parente pertinens ad substantiam utriusque.

[6] Primum autem motiuum non ualet, quia semen, cum sit aliquid inanimatum, non potest esse subiectum peccati, ut eius traductione traducatur peccatum, quod solum est in habente liberum
 35 arbitrium. Item si aliquid pertinens ad substantiam patris cum sua infectione transiret ad naturam prolis, tunc idem numero peccatum originale esset in parente et prole, sicut esset idem numero deriuatum ab uno in alterum. Item si per deriuationem alicuius nature infecte in parente deriuaretur in prolem peccatum originale, cum non
 40 deriuaretur in prolem tota natura parentis infecta, set aliquid eius, sequeretur quod in patre esset quoddam magnum peccatum originale quod diuideretur in filiis in multa parua peccata originalia sicut et ipsa natura patris non secundum se totam, set secundum partem sui deriuatur in filios, que omnia sunt absurda.

45 [7] Predictum etiam motiuum philosophorum sumptum ex assimilatione parentis ad prolem, uel econuerso, non est sufficiens, quia assimilatio duorum attenditur secundum | formam, non *π184m* secundum materiam. Omnia enim generabilia communicant in materia, nec tamen sunt similia illa similitudine de qua loquimur,
 50 semen autem secundum istos ponitur pertinere ad substantiam patris uel parentis et prolis solum materialiter tanquam illud ex quo formatur corpus prolis; ergo secundum ipsum non attenditur assimilatio inter parentem et prolem. Et si dicatur quod assimilatio licet non possit esse ratione materie remote, potest tamen esse ratione
 55 materie propinque qualis materia est semen, dicendum quod ubi tota substantia rei est materia, sicut in artificialibus, assimilatio potest esse ratione materie, set in naturalibus, ubi preter materiam qualitercunque acceptam ad substantiam rei pertinet forma, materia parum aut nihil facit ad assimilationem. Ex hoc ergo quod semen ex
 60 quo formaretur corpus prolis decideretur de substantia patris non posset reddi sufficienter causa assimilationis parentis ad prolem, set tota sumenda est ex uirtute formatiua que est in semine ex anima patris, quanuis semen non decidatur de substantia eius.

[8] Dicendum ergo quod semen deciditur de superfluo alimenti. Quod patet ratione et signo. Ratione sic, quia si semen esset aliquid 65 resolutum ab eo quod iam pertinet ad substantiam membrorum, aut retinet naturam eius a quo resoluitur aut non. Si retinet naturam eius a quo resoluitur, aut esset resolutum a determinata parte aut a toto; si a determinata parte, *tunc non* habet uirtutem mouendi ad naturam 70 *totius*. Si autem resolveretur a toto et naturam eius retineret, *sic semen* actum *esset quoddam animal paruum, et sic generatio animalis ex animali non esset, nisi per* deriuationem quandam, que manifeste sunt falsa. Si uero semen *non* retinet naturam eius a quo resoluitur, *tunc iam* *esset recedens a natura generantis et in uia corruptionis existens*, et per consequens non haberet uirtutem producendi simile aliquid 75 generanti.

[9] Signa etiam sunt ad hoc que ponit PHILOSOPHVS libro De generatione animalium, quorum unum est, quia nihil dissolutum a corpore habet determinatum locum in ipso, set uagatur per corpus, sicut apparet de sudore; semen autem habet 80 determinatum locum in corpore, sicut et alie superfluitates resolute ab alimento, et quasi in eadem parte corporis, in qua sunt loca aliarum superfluitatum; ergo etc. Secundum signum est quia semen et superfluitas alimenti consequuntur se in multitudine et paucitate, quia ubi inuenitur minus de superfluo alimenti, ibi inuenitur minus 85 de semine. Et propter hanc causam in pueris non est semen, quia superfluum nutrimenti conuertitur in augmentum. Pingues etiam homines sunt pauci seminis, quia superfluum alimenti in eis conuertitur in pinguedinem, et quedam similia, que inducuntur ibidem a PHILOSOPHO. Ex quibus patet quod semen non est aliquid 90 resolutum de substantia corporis, set de superfluo alimenti.

[10] Ad primum argumentum dicendum quod ad hoc quod instrumentum recipiat uirtutem principalis agentis, non requiritur unio secundum suppositum, set sufficit unio per contactum, ut patet

65 si ... 76 generanti] Thom., *S.th.*, I, 119, 2, resp.; etiam Rich. de Mediau., *Super Sent.*, II, 30, 5, 2, resp. (384a-b)

77 Philosophus ... 78 animalium] Arist., *De gen. anim.*, I, 18, 725a32-b9

86 Et ... 87 augmentum] cf. Rich. de Mediau., *Super Sent.*, II, 30, 5, 2, resp. (384b); ex Auic., *De animal.*, XV, 2 (60va)

90 ibidem ... Philosopho] Arist., *De gen. animal.*, I, 18, 725b30-726a5; Auic., *De animal.*, XV, 2 (60va); ap. Thom., *S.th.*, I, 119, 2, resp.; Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 30, 4, 2, sed contra 1 (264a); Rich. de Mediau., *Super Sent.*, II, 30, 5, 2, resp. (384b)

95 in securi mota ab artifice; hoc autem modo unitur semen anime
generantis; per uirtutem enim anime nutritiuam digeritur
alimentum, ut assimiletur nature corporis; quando ergo uenit ad
ultimam digestionem ante quam sit in membra conuersum mouetur,
ut statim per uirtutem anime accipiat formam cuiuslibet membri.
100 Cum ergo per uirtutem nutritiuam conuersum est de alimento, sic
preparato id quod ad nutrimentum indiget, residuum quod est
nutritiue resoluitur ad actum generatiue; unde ex hoc accipit ut
moueat materiam fetus eo motu quo mouebatur in corpore,
mouebatur autem sic, ut acciperet formam cuiuslibet membri, et ideo
105 uirtutem habet formandi materiam prolis in singula membra
corporis.

[11] Ad secundum argumentum dicendum quod generatio alicuius
dicitur esse de substantia generantis non materialiter, set formaliter,
inquantum forma generantis que est principalior pars substantie rei,
110 est principium quo generans principaliter generat, et ab ipsa est
uirtus actiua in agente instrumentali.

[12] Ad tertium dicendum quod *assimilatio non est propter
conuenientiam in materia*, set in forma, et ideo de quocunque sit
alimentum siue de carnibus bouis siue porci, quia | tamen uirtus que *π184rb*
115 est in semine, quod est superfluum alimenti, est productiua similis
forme, et hoc habet ab anima generantis, et non a natura porci uel
bouis, de quibus sumptum est alimentum, assimilatur magis filius
patri, quam porco uel boui.

SENTENTIA HVIVS DISTINCTIONIS XXXI IN GENERALI ET SPECIALI

[1] *Nunc superest inuestigandum.* Superius determinauit MAGISTER de
quidditate originalis peccati. Hic determinat de eius traductione. Et
diuiditur in tres. Primo determinat suum intentum. Secundo ex
5 determinatione concludit probatum. Tertio excludit quandam
dubitationem contrariam. Secunda ibi: *Iam ostensum est.* Tertia ibi:

107 generatio ... 108 formaliter] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 30, 2, 2, ad 2 (795)

112 assimilatio ... 113 materia] Thom., *Super Sent.*, II, 30, 2, 2, ad 4 (795)

2 Nunc ... inuestigandum] Lomb., *Sent.*, II, 31, 1 (505,16)

Set adhuc opponitur. Prima diuiditur in tres. Primo mouet questionem et eam determinat excludendo opinionem erroneam et declarando ueritatem. Secundo mouet quandam aliam dubitationem circa predicta et confirmat. Tertio ostendit quo modo aliqui purgati a 10 feditate originalis culpe peccatum transmittere possunt. Secunda ibi: *Hic queri solet.* Tertia ibi: *Ne autem miremur.* Hec est sententia lectionis in generali.

[2] In speciali sic procedit. Et proponit primo inquirendo utrum peccatum originale traducatur secundum animam an secundum 15 carnem; et dixerunt quidam quod secundum animam, quia animam presumunt ex traduce. Hoc autem non est ponendum, set magis per carnis traductionem originale peccatum inducitur. Caro enim uitiosa concupiscentia concepta uirtute in se maculam peccati habet, et ideo ex unione anime ad ipsam contrahitur peccatum originale. Et ideo 20 dicitur peccatum manere in carne uirtualiter. Postea querit, utrum ista infectio carnis sit culpa an pena; non enim uidetur esse culpa, cum culpa non sit in subiecto irrationali, nec pena, quia inter penalitates non connumeratur. Et respondet MAGISTER quod est quedam fomes. Postea dicit quod sicut ex circuncisis secundum 25 AVGVSTINVM nascitur puer cum preputio et ex grano nudo granum cum palea, ita ex carne per baptismum mundata nascitur caro cum infectione originali. Postea dicit quod ideo nominatur originale, quia ex uitiosa et libidinosa origine contrahitur. Et quia Christus talem originem non habuit, illud peccatum non traduxit. Vltimo querit 30 quomodo peccatum potest esse in carne quando concipitur, cum tunc non sit mala, et respondet quod hoc ideo dicitur, quia tantum est ibi uirtualiter infectio, ex qua habet anima maculari. Et in hoc terminatur etc.

QVESTIO PRIMA

VTRVM PECCATVM ORIGINALE TRADVCATVR PER ORIGIN[AL]EM CARNIS

[1] Circa distinctionem istam primo queritur de modo traductionis originalis peccati, utrum traducatur per originem carnis. Et uidetur

5 quod non, quia accidens non traducitur nisi traductione sui subiecti; set caro non est subiectum originalis peccati, set anima; ergo etc.

[2] Item maior est conuenientia carnis ad animam, ex quibus fit una natura, quam carnis ad culpam; set anima non traducitur in homine per originem carnis; ergo multo minus culpa.

10 [3] In contrarium arguitur quia secundum APOSTOLVM Ad Rom. 5 *per unum hominem peccatum intrauit in mundum*. Hoc autem non fuit per imitationem, quia sic intrauit per demonem, ut patet per illud quod dicitur Sap. 2: *inuidia diaboli mors* intrauit, etc.; ergo per originem ratione propagationis unius ex altero; set
15 homo propagatur ab homine solum secundum carnem, non secundum animam, que est ab extrinseco per creationem; ergo etc.

[4] Responsio. Dicunt QUIDAM peccatum originale traduci traductione carnis hoc modo; caro enim prolis que traducitur uirtute seminis infecta est; habet enim quandam feditatem ratione sue
20 nature, que licet in semine uel carne non sit culpa, quia non sunt susceptiua culpe, anima tamen ex unione ad carnem fedam contrahit ex hoc culpam | et est simile. Infectio enim que est in semine leprosi π184va non est lepra uel egritudo formaliter, set solum uirtualiter; in carne autem leprosi est uere lepra, quia caro est lepre susceptiua; sic infectio
25 uel feditas nature non est in semine uel carne culpa. Set ibi primo habet rationem culpe, ubi inuenitur subiectum susceptiuum, sicut est anima, redundat autem a carne in animam, non per actionem carnis in ipsam, quia corpus non agit in spiritum, set *per* quandam *naturalem* concomitantiam que est inter formam et materiam; *sicut*
30 *enim anima communicat corpori suas dispositiones, ut uitam et huiusmodi, sic dispositiones corporis comunicantur anime; anima enim*

5 accidens ... 6 anima] cf. Thom., *S.th.*, I-II, 81, 1, arg. 2; *De malo*, 4, 1, arg. 2 (103,11-16)
8 set ... 9 carnis] cf. Gennad., *De eccl. dogm.*, 14 (984B); ap. Thom., *De malo*, 4, 1, arg. 2 (103,15)

10 In ... 14 altero] cf. Thom., *S.th.*, I-II, 81, 1, sed contra; *De malo*, 4, 1, sed contra 1 (105,171-178); ex Lomb., *Collect. in Paul. Epist., Ad Rom.*, 5,12 (1388B-C)

Apostolum ... 11 mundum] *Rom.*, 5,12

13 Sap ... intrauit] *Sap.*, 2,24

17 Dicunt ... 18 modo] cf. Lomb., *Sent.*, II, 31, 3-5, 6, n. 3 (506-508; 508-509)

18 caro ... 27 anima] cf. Thom., *S.th.*, I-II, 81, 1, resp.

27 per ... 33 fatuis] Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 31, 2, 1, resp. (269a); ad 2 (269b)

29 concomitantiam] alias communicationem et communicantiam, et infra *i.m. add.* π

infusa corpori male disposito efficitur stolidia, ut patet in naturaliter fatuis, et similiter est infectione anime ex infectione carnis.

[5] Set iste modus non uidetur conueniens propter multa. Primo quia caro in homine non est caro nisi per animam rationalem, 35 supposito quod in homine sit tantum una forma. Prius ergo uel simul ordine nature est anima unita materie et caro est caro, cum anima intrinsece pertineat ad naturam carnis; set quod non est infici non potest; ergo non prius inficitur caro et per carnem anima; set prius uel saltem simul tempore et natura inficitur caro et anima. 40

[6] Et adhuc restat dubium per quid inficitur anima originali culpa. Si autem dicatur quod caro est caro ante infusionem anime rationalis per animam sensituiam et ita ex carne fedata et infecta contrahitur peccatum originale in anima per quamdam concomitantiam, ut dictum est, istud non uidetur, quia illa feditas 45 que ponitur in carne uel est spiritualis uel corporalis. Non spiritualis, quia cum caro sic accepta sit quid pure corporeum, non est talis feditatis susceptiua; nec corporalis, quia corporalis feditas non est nisi uel per priuationem alicuius conuenientis secundum naturam, sicut abscissio nasi reddit faciem fedam, uel per appositionem alicuius 50 disconuenientis, sicut fedatur facies appposito luto. Primum non potest dici, quia per peccatum primorum parentum nihil pertinens ad perfectionem nature humane est substractum; iustitia enim originalis que toti nature substracta est, fuit donum gratis tollatum; et ideo eius carentia non ponit aliquam feditatem; set etsi talis 55 carentia feditas diceretur, rationem pene haberet; ex pena autem non causatur culpa, set econuerso; ideo etc. Nec secundum potest dici, scilicet quod feditas carnis fit per appositionem alicuius disconuenientis, quia priuatio nihil ponit; peccatum autem priuatio 60 est; ideo etc.

[7] Si autem dicatur quod illa feditas non est in carne formaliter, ut bene ostendunt premissae rationes, set solum uirtualiter, non ualeat,

39 non ... 40 anima] cf. in contrarium Thom., *De malo*, 4, 3, resp. (115,74-78); Ioh. Paris., *Super Sent.*, II, 31, 3, resp. (199,6-9)

53 iustitia ... 54 est] cf. Ans., *De conc. uirg. et orig. pecc.*, 27 (170,15-17); ap. Thom., *De malo*, 4, 1, arg. 10 et 11 (104,77-78 et 87-88); cf. Alb., *Super Sent.*, II, 30, 3, sol. (505a)

62 solum uirtualiter] cf. Alb., *S.th.*, II, 17, 107, 3, part. 1, ad 1 (288b) et sqq.; Thom., *Super Sent.*, II, 30, 1, 2, ad 4 (772); *De malo*, 4, 1, ad 12 (107,363-369); 4, 3, resp. (114,57-68); Bonau., *Super Sent.*, II, 31, 2, 1, resp. (750a); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 31, 2, 1, ad 1 (269b); Aeg. Rom., *Ord.*, II, 31, 1, 1, ad 1 (445aA-C)

quia aut esset in carne uirtualiter quoad uirtutem actiuam, ut scilicet talem feditatem in animam ageret, quod esse non potest, quia
 65 materia non agit in formam neque corpus in spiritum, ut ipsi fatentur, uel quoad uirtutem passiuam, et tunc solum se haberet ad recipiendum talem feditatem, qua recepta iam esset feda formaliter. Modus etiam transfusionis peccati originalis quem ponunt, scilicet per concomitantiam carnis et anime, non est conueniens; licet enim
 70 anima, que est actus et perfectio corporis, communicet corpori proprietates suas, informet et perficiat materiam, tamen proprietates materie nunquam informant formam, sicut nec ipsa materia, nec aliquo modo redundant ad formam non eductam de potentia materie, qualis est anima, nisi quoad operationem, in qua
 75 communicat cum corpore subiectiue uel obiectiue, et per hunc modum anima infusa corpori male disposito, efficitur stolidi, quia non habet debitas operationes propter indispositionem corporis. Ad ipsam autem essentiam anime uel ad eius potentias nulla infectio spiritualis transire potest.

80 [8] Tenendo ergo quod peccatum originale sit carentia iustitie originalis debite inesse cum debito carendi ea, quod debitum quidam uocant reatum, ut in precedentibus dictum est, potest faciliter assignari modus traductionis eius; traducitur enim traductione nature sic, *cum nihil agat ultra suam speciem, natura deficiens a dono quod*
 85 *gratis ei impensum erat, non potest alteri communicare donum quo caret, et quod supra naturam ei datum fuerat siue collatum, set solum communicat quod ad naturam pertinet, cum carentia doni supernaturaliter a principio toti nature collati. Ista autem carentia,*
 quia in relatione ad peccatum | primi parentis iusta est, reatus est. Est
 90 enim reatus iusta obligatio ad penam propter culpam, nec aliter traducitur, nisi quia natura defectuosa traducitur ab eo qui se et nos huiusmodi defectibus ex sua culpa subiecit.

π184vb

69 per concomitantiam] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 30, 1, 2, ad 5 (772-773); 32, 2, 1, ad 1 (834); Bonau., *Super Sent.*, II, 31, 2, 1, resp. (750a); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 31, 2, 1, resp. (269a) et ad 2 (269b); Henr. de Gand., *Quodl.*, II, 2, sol. (77,34-38); Rich. de Mediau., *Super Sent.*, II, 31, 2, 1, ad 1 (391b)

70 anima ... corporis] cf. *Auct. Ar.*, 6, 41 (177,57)

83 traducitur ... 92 subiecit] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 30, 1, 2, sol. (771) et 31, 1, 1, sol. (804-805); etiam Aeg. Rom., *Ord.*, II, 30, 1, 2, resp. (411aB); *Report.*, II, 73.2 (359,39-50)

84 cum ... 86 fuerat] Thom., *Super Sent.*, II, 31, 1, 1, sol. (804)

89 Est ... 90 penam] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 42, 1, 2, sed contra 1 (1055); *De malo*, 2, 2, ad 14 (35,345)

[9] Ad primum argumentum dicendum quod in generatione hominis materia non traducitur, set supponitur, nec anima secundum illud quod est absolute, set creatur; ipsum tamen compositum 95 traducitur, unde homo generatur ex traduce; est enim compositum ex unione partium; unio autem principiorum essentialium hominis est a uirtute seminis, saltem dispositiue, propter quod compositum traducitur, et partes compositi non quidem secundum se et absolute ut sint, set ut unum sint, et unam faciant naturam traductam, et quia 100 anima non est subiectum originalis peccati, ut talis reatus qualis dictus est, nisi ut faciat unum cum corpore uel cum materia et hoc modo est equaliter traducta, ideo et defectus talis potest dici traductus. Per idem patet ergo ad secundum.

[10] Ad argumentum in contrarium dicendum quod homo dicitur 105 magis traduci secundum carnem quam secundum animam, quia caro dicitur compositum cui competit traduci. Item dicit ipsum sub ratione perfectionis quam dat anima sensitua, que in aliis ab homine uirtute seminis educitur de potentia materie, quanquam et ipsa anima possit dici aliquo modo traducta, saltem dispositiue, et eius 110 traductione peccatum originale traductum.

QUESTIO SECVNDA

VTRVM MIRACVLOSE FORMATVS EST EX CARNE HOMINIS PREEXISTENTIS CONTRAHERET PECCATVM ORIGINALE

[1] Secundo queritur, si aliquis formaretur miraculose ex humana carne, puta de digito uel pede, utrum contraheret originale peccatum. 5 Et uidetur quod sic, quia ex massa corrupta non potest fieri nisi opus corruptum; set tota massa humane nature fuit in Adam corrupta; ergo quicquid formaretur ex ea quocunque modo esset corruptum.

[2] Item DAMASCENVS dicit in IV LIBRO quod *spiritus sanctus preuenit* in uirgine, de qua Christus erat absque peccato originali 10 nascitura, *purgans* eam; set illa purgatio non fuisset necessaria, nisi in materia esset aliqua feditias, ex quo originale contraheretur; ergo in

97 unio ... 98 dispositiue] cf. Thom., *S.th.*, I-II, 81, 1, ad 2

9 Damascenus ... 11 eam] rectius Ioh. Dam., *De fide orth.*, III, 2, 2 (171,18-20)

omni formato materialiter de carne humana quantumcunque formetur ex parte agentis miraculose esset peccatum originale.

15 [3] In contrarium est quod dicit AVGVSTINVS in X Super
 Genesim ad literam, quod descendere ab Adam *secundum*
rationem seminalem est causa contrahendi peccatum originale; set
 formatus miraculose de manu hominis uel pede non descenderet ab
 Adam secundum rationem seminalem, set solum *secundum*
 20 corpulentam *substantiam*; ergo etc.

[4] Responso. Dicendum quod formatus miraculose ex humana carne non contraheret peccatum originale. Quod patet sic, quia ad illud ad quod natura se habet solum passiuè et nullo modo actiuè non potest natura aliquid transfundere, neque perfectionem neque
 25 defectum; transfusio enim aliquam actionem importat; set ad illum qui miraculose formaretur ex humana carne natura solum se haberet passiuè et nullo modo actiuè; ergo ad talem non transfunderetur originalis culpa nec a principio transfusa fuisset originalis iustitia. Quis enim transfunderet? Deus an natura? Non Deus, quia ab ipso
 30 non est culpa nec reatus. Nec natura, quia natura nihil operatur in tali prole nisi ministrando materiam ex qua nec culpa nec reatus potest in animam redundare, ut ostensum est in precedente questione.

[5] Concordat autem hoc ei quod ab OMNIBVS conceditur, scilicet
 35 quod iustitia originalis data fuit Ade pro se et tota posteritate, quam peccando amisit pro se et pro posteritate, ac per hoc tota posteritas peccatum originale incurrit; set constat quod formatus miraculose de manu uel pede non pertineret ad posteritatem Ade; talis enim non haberet patrem aut matrem in tota humana specie sicut fuit Eua, licet

15 Augustinus ... 16 literam] Aug., *De Gen ad litt.*, X, 20 (322-324); ap. Thom., *S.th.*, I-II, 81, 4, sed contra

21 Dicendum ... 27 actiuè] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 31, 1, 2, ad 3 (810); *S.th.*, I-II, 81, 4, resp.; Bonau., *Super Sent.*, II, 31, dub. 3 (756b); Rog. Marst., *Quodl.*, II, 14 (197,26-198,13); Aeg. Rom., *Ord.*, II, 31, 1, 2, ad 4 (448aD-bA); *Report.*, II, 73,3 (359-360); Rich. de Mediau., *Super Sent.*, II, 31, 2, 2, ad 1 (392b); Ioh. Paris., *Super Sent.*, II, 31, 5, resp. (200,13-201,20); Duns Scot., *Lect.*, II, 30-32, 4 (302,5-13); in contrarium cf. Henr. de Gand., *Quodl.*, I, 21, sol. (173,62-174,76)

34 ab ... 36 posteritate] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 30, 1, 2, sol. (771) et 31, 1, 1, sol. (804-805)

37 set ... 40 etc] cf. Ioh. Paris., *Super Sent.*, II, 31, 5, resp. (201,21-28)

39 sicut ... 40 Ade] cf. Thom., *S.th.*, I, 92, 2, ad 3

fuerit formata de costa Ade; ideo etc. Per idem patet quod, si Adam 40
 peccasset et non Eua, proles contraxisset peccatum originale, quia
 π185ra patris est agere, mater | uero solum materiam administrat, et per
 consequens proles fuisset mortalis et passibilis, quia *sicut per unum
 hominem peccatum intrauit in mundum*, ita *per peccatum mors* ut
 dicitur Rom. 5. Si uero sola mulier peccasset, proles nata fuisset 45
 cum originali iustitia et per consequens cum immortalitate et
 impassibilitate illius status.

[6] Ad primum argumentum dicendum quod tota massa generis
 humani non fuit infecta uel corrupta in Adam formaliter, set solum
 uirtualiter in quantum in ipso omnes eramus ut in principio 50
 generationis actiuo, quod uocat beatus AVGVSTINVS fuisse in Adam
secundum rationem seminalem; sic autem non fuissent in Adam qui
 formati fuissent formata de massa corrupta, set fuissent miraculose; et
 ideo non fuissent in eo solum ut in principio passiuo, quod uocat
 AVGVSTINVS fuisse in Adam *secundum corpulentam substantiam*, que 55
 non est causa generalis corruptionis in prole, ut ipsemet dicit.

[7] Ad secundum dicendum quod purgatio de qua loquitur
 DAMASCENVS non fuit aliqua feditas materie que nisi purgaretur
 causaret peccatum originale in prole; hoc enim absurdum est dicere
 etiam concedenti quod tota humana natura materialiter fuerit 60
 corrupta, quia materia, quam ministrat mater ad formationem prolis,
 nunquam fuit de ueritate matris; et ideo dato quod tota natura
 humana fuisset infecta, nihil tamen infectionis esset propter hoc in
 tali materia; uocat ergo DAMASCENVS purgationem non
 emundationem a feditate que inerat, set preseruacionem ab ea que 65

40 Per ... 43 passibilis] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 31, 1, 2, ad 4 (811); Ioh. Pecham, *Quodl.*, I, 15, sol. (38,26-30)

42 patris ... administrat] cf. *Auct. Ar.*, 9, 184 (223,14-15)

43 sicut ... 45 5] *Rom.*, 5,12

45 Si ... 47 status] cf. Aeg. Rom., *Report.*, II, 73,3 (360,20-28); Ioh. Paris., *Super Sent.*, II, 31, 6, resp. (202,9-15); in contrarium cf. Thom., *Super Sent.*, II, 31, 1, 2, ad 4 (810-811); Aeg. Rom., *Ord.*, II, 31, 1, 2, ad 5 (448bB-C); sed cf. etiam Thom., *S.th.*, I-II, 81, 5, resp. et ad 2

51 Augustinus ... 52 seminalem] Aug., *De Gen. ad litt.*, X, 20 (323,4-5)

55 Augustinus ... substantiam] Aug., *De Gen. ad litt.*, X, 20 (323,11); ap. Thom., *Super Sent.*, II, 30, 2, 2, sol. (791); S.th., I-II, 81, 4, sed contra et resp.

56 ut ... dicit] Aug., *De Gen. ad litt.*, X, 20 (324,1-15)

57 purgatio ... 59 prole] cf. Thom., *De malo*, 4, 7, ad 6 (125,116-122); Ioh. Paris., *Super Sent.*, II, 31, 6, resp. (202,16-24); in contrarium cf. Henr. de Gand., *Quodl.*, I, 21, ad 2 (175,93-98); cf. etiam Thom., *S.th.*, III, 32, 4, ad 1

64 uocat ... 66 actuali] cf. Thom., *S.th.*, III, 32, 4, ad 1

inesse poterat, scilicet culpa actuali. Ex tunc enim beata Virgo peccare non potuit mortaliter nec uenialiter.

QVESTIO TERTIA

VTRVM PECCATVM ORIGINALE SIT IN ESSENTIA ANIME TANQVAM IN SVBIECTO AN IN POTENTIA

[1] Tertio queritur in quo tanquam in subiecto sit peccatum originale, 5 utrum in essentia anime an in potentia. Et uidetur quod in essentia, quia peccatum originale dicitur peccatum nature; set natura per prius dicitur de essentia quam de potentiis; ergo etc.

[2] Item originale traducitur in unoquoque ex unione anime ad corpus, ut dictum est prius; set anima immediatius unitur corpori per 10 essentiam quam per potentias; ergo etc.

[3] In contrarium est quia illud quod inclinatur ad actum immediatus respicit potentiam quam essentiam; set peccatum originale inclinatur ad actum; ex hoc *enim sensus et cogitatio* hominis *prona est in malum ab adolescentia*, ut dicitur *Gen. 8*; ergo etc.

[4] Responsio. In quo sit peccatum originale tanquam in subiecto 15 accipiendum est ex consideratione eius quid sit. Non est autem aliud peccatum originale nisi carentia iustitie originalis debite, haberi modo quo fuit prius expositum, et hec carentia est in unoquoque in eodem subiecto in quo fuisset iustitia originalis; habitus enim et 20 priuatio habent fieri circa idem, originalis autem iustitia, sicut dictum fuit supra distinctione 20 questione 5, accipitur dupliciter. Vno modo large prout comprehendit rectitudinem uoluntatis ad Deum et debitum ordinem seu debitam subiectionem uirium

5 in essentia] cf. Alb., *S.th.*, II, 17, 108, 2, sol. (305a); Thom., *Super Sent.*, II, 31, 2, 1, sol. (812); *S.th.*, I-II, 83, 2; *De malo*, 4, 4, resp. (116,85-127); Aeg. Rom., *Ord.*, II, 31, 2, 1, resp. (451bD-453bA); *Report.*, II, 73.7 (364-365); Ioh. Paris., *Super Sent.*, II, 31, 4 (200,12); Guill. Petr. de God., *Lect. Thom.*, II, 30, q. unic. (G47rb)

in potentia] cf. Bonau., *Super Sent.*, II, 31, 1, 2, resp. (744a-b); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 31, 3, 1, resp. (271a); Rich. de Mediau., *Super Sent.*, II, 31, 1, 1 (387-388); Duns Scot., *Lect.*, II, 30-32, 2, sed contra (293,15-17); *Ord.*, II, 30-32, 2, sed contra (323,64-67)

9 ut ... prius] cf. supra, II, 31, 1

13 enim ... 14 8] *Gen.*, 8,21

19 habitus ... 20 idem] Arist., *Cat.*, 10, 12a26

sensitiuarum ad rationem. Alio modo accipitur magis stricte pro sola subiectione et debito ordine uirium sensitiuarum ad rationem. Et hic est modus magis proprius accipiendi iustitiam originalem, ut ibidem dictum fuit. 25

[5] Quorumcunque autem dictorum modorum accipiatur iustitia originalis, patet quod ipsa non fuisset in essentia anime sicut in subiecto, set in uoluntate uel in uiribus sensitiuis uel in utroque, quia 30 rectitudo est in rectificatis et ordo in ordinatis, propter quod, cum secundum utramque acceptionem originalis iustitie ipsa fit rectitudo uoluntatis ad Deum uel debitus ordo uirium sensitiuarum ad rationem uel utrunque simul, patet quod ipsa non fuit in essentia anime sicut in subiecto, set fuit in uoluntate uel in uiribus sensitiuis 35 uel in utrisque et cum iustitia originalis stricte et proprie accepta fuerit debita ordinatio et subiectio uirium sensitiuarum ad rationem, patet quod ipsa fuit in eis tamquam in subiecto, et per consequens in eisdem est eius carentia que est pec- | -catum originale; si autem in ratione originalis iustitie includatur rectitudo uoluntatis ad Deum, 40 cum hoc fuerit principale in toto statu innocentie, quia ex tali rectitudine cetera dependebant, tunc carentia originalis iustitie est principaliter in uoluntate, et per consequens peccatum originale, nec tamen propter hoc in unoquoque sunt plura peccata originalia, set unum, quia reatus ex uno est, et ad unum principaliter, licet ad illud 45 unum multa sequantur, ut dictum est.

π185rb

[6] Ad primum argumentum dicendum quod originale dicitur peccatum nature, non quia primo respiciat naturam anime, set quia tollit illud quod toti nature fuerat collatum, scilicet iustitiam originalem, quanuis ipsa non esset principaliter in essentia anime, set 50 magis in uoluntate uel uiribus sensitiuis.

[7] Ad secundum dicendum quod originale contrahitur ex unione anime ad corpus, quia ad unionem sequitur talis defectus, qui tamen non est in essentia anime, set in uoluntate primo et principaliter uel in uiribus sensitiuis. 55

43 nec... 46 sequantur] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 33, 1, 3, sol. (857); *S.th.*, I-II, 82, 2, resp.; *De malo*, 4, 8, ad 1 (127,218-234); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 31, 3, 1, resp. (271a); Aeg. Rom., *Ord.*, II, 31, 2, 1, resp. (452a)

SENTENTIA HVIVS DISTINCTIONIS XXXII IN GENERALI ET SPECIALI

[1] *Quoniam supra dictum est.* Superius determinauit MAGISTER de peccati quidditate et traductione. Hic uero determinat de eius remissione. Et diuiditur in duas. Primo determinat suum intentum.
5 Secundo mouet quandam incidentem questionem. Secunda ibi: *Illud quoque non incongrue queri solet.* Prima diuiditur in duas. Primo determinat suum intentum. Secundo querit questiones circa causas et modum communis peccati originalis. Secunda ibi: *Preterea queri solet utrum concupiscentia.* Prima diuiditur in duas. Primo determinat
10 remissionem peccati originalis quantum ad animam, secundo quantum ad carnem. Secunda ibi: *Solet autem queri.* Sequitur illa pars circa quam mouet questiones circa causalitates peccati originalis. Et diuiditur in quinque partes secundum quinque questiones quas mouet et soluit. Primo querit unde causetur concupiscentia peccati
15 originalis. Secundo unde peccatum tale anime imputetur. Tertio utrum tale peccatum sit uoluntarium. Quarto de equalitate diuine iustitie animam infundentis. Quinto de qualitate anime infuse. Secunda ibi: *Solet etiam queri.* Tertia ibi: *Illud etiam non immerito.* Quarta ibi: *Si uero queritur.* Quinta ibi: *Aliquis queri solet.* Et hec est
20 sententia et diuisio lectionis in generali.

[2] In speciali sic procedit et proponit primo qualiter per baptismum peccatum originale dimittitur, cum post baptismum concupiscentia maneat. Hoc ideo dicitur quod per baptismum concupiscentia minuitur et regnare prohibetur et reatus tollitur; sicut
25 enim actualia transeunt actu et remanent reatu, ita econtrario concupiscentia in baptismo manet actu et transit reatu. Postea querit utrum caro in baptismo a feditate purgetur. Et respondet secundum QVOSDAM quod sic, cum ad anime et carnis purgationem ordinetur aqua baptismi, secundum ALIOS uero feditas carnis non purgatur, set
30 solum anime, imo secundum multitudinem generationis multiplicatur feditas, ita quod ex maiore carnis feditate magis originale contrahitur. Primi tamen hoc non concedunt. Postea querit utrum originalis concupiscentie Deus sit causa. Et respondet quod sic in quantum est pena, in quantum tamen est culpa non. Postea querit
35 quare peccatum imputatur anime, cuius contradictionem uitare non

potest. Respondet quod hoc non est, quia delectatur ipsi carni ut quidam dixerunt; set ex peccato primi parentis cuius anima peccatrix carnem corruptibilem fecit. Postea querit utrum peccatum originale sit uoluntarium an necessarium, et respondet quod est necessarium, quia uitari non potest, et etiam uoluntarium, quia a uoluntate primi 40 hominis processit et contractum est. Postea querit quare Deus animam carni infudit. Et respondet quod hoc est ut saluetur institutio humane propagationis. Postea querit utrum, cum anima infunditur, sit talis qualis a Deo creatur. Et respondet quod non est omnino talis, quia a Deo creatur munda, set coniuncta carni 45 maculam habet. Vltimo querit utrum anime sint a Deo create equales. Et respondet quod inequalia naturalia recipiunt in creatione sicut et angeli. Et in hoc terminatur sententia lectionis etc. |

π185va

QVESTIO PRIMA

VTRVM PECCATVM ORIGINALE TOLLATVR IN BAPTISMO

[1] Circa distinctionem istam primo queritur utrum peccatum originale tollatur in baptismo. Et uidetur quod non, quia sicut se habet concupiscentia actualis ad actuale peccatum, sic 5 concupiscibilitas habitualis ad originale peccatum; set manente concupiscentia actuali peccatum actuale non potest remitti; ergo manente concupiscibilitate habituali originale non potest remitti, set illa manet post baptismum; ergo etc.

[2] Item *priuatio non tollitur, nisi habitus restituatur; set in baptismo 10 iustitia originalis non restituitur; ergo peccatum originale non tollitur.*

[3] Contra. Nullus *potest simul esse filius ire et gratie; set per peccatum originale nascuntur filii ire secundum illud Eph. 2: Erasmus natura filii ire et per baptismum regeneramur in filios gratie; ergo per baptismum tollitur peccatum originale.* 15

4 sicut ... 9 etc] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 32, 1, 1, arg. 3 (823)

10 priuatio ... 11 tollitur] Thom., *Super Sent.*, II, 32, 1, 1, arg. 1 (823)

12 Nullus ... 14 gratie] Thom., *Super Sent.*, II, 32, 1, 1, sed contra (824)

13 Eph ... 14 ire] *Eph.*, 2,3

14 per ... gratie] cf. *Ioh.*, 3,5; *Tit.*, 3,5

[4] Responso. Dicenda sunt duo. Primum est qualiter omne peccatum generaliter remittitur. Secundum erit de peccato originali specialiter qualiter remittitur, scilicet per baptismum.

[5] Quantum ad primum notandum est quod peccatum remitti
 20 non est aliud quam ipsum non imputari ad penam. Quod patet
 ratione et auctoritate. Ratione sic: peccatum remitti non potest nisi
 quoad offensam uel quantum ad maculam uel quantum ad penam.
 Nec enim circa peccatum aliquid aliud occurrit considerandum.
 Remissio autem peccati quantum ad offensam est ipsum non
 25 imputari ad penam, quia sicut Deus non dicitur offensus secundum
 affectum, set secundum effectum in quantum ad modum offensi
 penam infligit aut preparat, ita offensa dicitur remitti solum, quia
 pena non infligitur aut non preparatur. Peccatum ergo dicitur quoad
 offensam remitti, quia non imputatur ad penam. Item apparet de
 30 remissione peccati quoad maculam, quia macula, si qua ex peccato
 contrahitur, non est aliud quam priuatio gratie habitualis uel
 deordinatio actus quantum ad peccatum actuale. Quantum ad
 primum macula remittitur cum gratia restituitur; priuatio autem
 gratie pena est, non culpa, et sic idem quod prius. Deordinatio autem
 35 actus transit cum actu transeunte, et sicut non manet actus, ita nec
 deordinatio; nec potest fieri quod idem actus numero sit primo
 deordinatus et postea ordinatus. Relinquitur ergo tertium membrum,
 in quod omnia precedentia incidunt, scilicet quod peccatum remitti
 est ipsum ad penam non imputari.

40 [6] Cui concordat dictum scripture in Ps.: *Beati quorum remisse
 sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata*. Et subdit: *Beatus uir cui
 non imputauit Dominus peccatum*. Verum est quod tale peccatum
 actuale semper imputatur homini quousque uoluntas eius deordinata
 prius reordinaretur, quod fit per contritionem, dum bene displicet
 45 quod prius male placuit; set in hoc non consistit remissio peccati
 actualis, set est quoddam preuium ad remissionem. Et sic patet
 primum.

[7] Quantum ad secundum sciendum quod cum peccatum remitti
 non sit aliud quam ipsum non imputari ad penam, ut statim uisum
 50 est, peccatum originale remitti est ipsum non imputari ad penam

19 peccatum ... 20 penam] cf. Thom., *De malo*, 7, II, resp. (186,172-174)

40 Ps ... 41 peccata] Ps., 31,1

41 Beatus ... 42 peccatum¹] Ps., 31,2

originali debitam. Est autem duplex pena originali debita. Vna ex parte anime, scilicet carentia gratie in presenti et glorie in futuro. Alia est pertinens ad uires inferiores et ad corpus, scilicet carentia rectitudinis uirium inferiorum ad rationem et passibilitas et mortalitas corporalis. Quoad primam penam peccatum originale 55 remittitur per baptismum. Cuius ratio est quia sicut per generationem naturalem acquiritur esse nature, sic per generationem spiritualem acquiritur esse gratie; set baptismus est quedam generatio spiritualis; ergo per ipsum acquiritur esse gratie et per consequens esse glorie pro futuro. Secunda autem pena non tollitur in baptismo, 60 ut de se patet.

[8] Cuius rationem QUIDAM assignant, quia in baptismo non tollitur nisi infectio persone, non nature; unde et pater baptizatus generat filium cum originali, licet pater purgatus sit ab eo, quia purgatur in patre persona, non natura. Actus autem sunt persone siue 65 suppositi, siue sint actus meriti siue premii. Et ideo gratia et gloria, que ad hos actus | proficiunt, per baptismum restituuntur, gratia quidem in re et gloria in spe; passibilitas autem et necessitas moriendi et rebellio carnis ad spiritum sunt conditiones nature totam speciem consequentes, et ex principiis nature per se causate, ut ostensum fuit 70 supra, distinctione 30 questione 1. Ideo non tolluntur nunc per baptismum, set tollentur in generali resurrectione quando per Christum *ipsa natura liberabitur a seruitute corruptionis*, ut dicitur Rom. 8.

[9] Istud autem, etsi sit probabiliter dictum, tamen non uidetur 75 sufficere, cum in eodem non differant natura et persona, ut ostensum fuit in primo libro distinctione 34 questione 1. Adhuc restat querendum quare defectus nature istius quoad eius personam non reparantur per baptismum, ut sicut in baptismo gratia restituitur baptizato pro se et non pro posteritate, sic restituatur immortalitas et 80 impassibilitas pro se et non pro posteritate.

62 quidam] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 32, 1, 2, sol. (828); Bonau., *Super Sent.*, II, 32, 1, 2, resp. (763b-764a); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 32, 1, 2, resp. (275b); Aeg. Rom., *Ord.*, II, 32, 1, 2, resp. (463aA), sed differenter in *Report.*, II, 73.4-5 (361-363); Ioh. Paris., *Super Sent.*, II, 32, 1, resp. (203,7-19); Iac. Met., *Super Sent.*, II, 32 (T99vb; Vb69vb); Guill. Petr. de God., *Lect. Thom.*, II, 32, 1 (G48ra)

65 Actus ... persone] cf. *Auct. Ar.*, I, 5 (115,86); Arist., *Metaph.*, I, 1, 981a16-17

73 ipsa ... 74 8] *Rom.*, 8,21

76 ut ... 77 1] cf. supra, I, 34, 1 (91vb)

[10] Ideo dicendum est quod sacramenta restituunt id quod est necessitatis ad salutem, non autem id quid est dignitatis; sunt etiam sacramenta medicamenta salutis anime, non corporis, sicut uidemus
 85 in penitentia, que ordinatur contra peccatum actuale, sicut baptismus contra peccatum originale. Amittens enim uirginitatem peccando, per penitentiam reparatur ad gratiam, que est necessaria ad salutem, set non reparatur ad uirginitatem, que pertinet ad dignitatem, quia nec uirginitas reparari potest. Similiter per baptismum restituitur
 90 rectitudo uoluntatis per gratiam, sicut aliquid necessarium ad salutem; set non restituitur immortalitas etc., que pertinent ad dignitatem status; nec decuit etiam quod plus conferretur reparatis quam reparatori, immo minus: set reparatorum oportuit esse mortalem et passibilem, qui per passionem et mortem nos reparare
 95 uenerat; ideo etc. Sicut tamen hi defectus sublatis fuerunt a Christo in sua resurrectione, sic auferentur in generali resurrectione per Christum, qui potest inter ea que connexa sunt uel se consequuntur, unum restituere sine altero. Et licet nunc non auferantur, nihilominus peccatum originale potest dici simpliciter remissum,
 100 quia peccatum remitti est ipsum non imputari ad penam, ut prius dictum est; sicut ergo peccatum actuale dicitur remissum simpliciter, quando solutus est reatus pene eterne, licet homo remaneat obligatus pene temporali, ita et peccatum originale dicitur simpliciter remitti per baptismum, quia ibi soluitur pene eterne reatus, scilicet carentia
 105 uisionis diuine, quanuis remaneant pene temporales, que consecute sunt ex peccato originali, sicut causa remouente prohibens.

[11] Ad primum dicendum quod in concupiscentia actuali est subiectiue deordinatio culpe actualis, et ideo ea manente manet peccatum; set concupiscentia habitualis est pena consequens originale
 110 peccatum, que manere potest remisso peccato originali quoad reatum pene spiritualis, que est carentia gratie, ut dictum est supra distinctione 50 questione 3.

[12] Ad secundum dicendum quod peccatum originale non est priuatio iustitie originalis simpliciter et absolute, set est formaliter
 115 debitum habendi originalem iustitiam cum dignitate carendi ea seu

100 ut ... 101 est] cf. supra, §5

91 set ... immortalitas] Supra distinctione 20 questione 2. *i.m. add. π*
 simpliciter] Supra distinctione 30 questione 1. *i.m. add. π*

101 sicut ...

reatu, et illud debitum habendi originale iustitiam et reatus, quo paruulus uel adultus dignus est carere ea tollitur in baptismo et non carentia originalis iustitiae, que secundum se et absolute magis est pena quam culpa.

QUESTIO SECUNDA

VTRVM PECCATVM ORIGINALE SIT IN ANIMA A DEO

[1] Secundo queritur utrum peccatum originale sit in anima a Deo. Et uidetur quod sic, quia peccatum originale contrahitur ex hoc quod anima carni unitur; set anima unitur corpori a Deo a quo etiam 5 creatur; ergo etc.

[2] Item agens est prestantius patiente; set nihil est prestantius anima humana nisi Deus uel angelus; ergo nihil potest causare aliquid in anima bonum uel malum nisi Deus uel angelus; set angelus non potest in nobis causare culpam, sicut nec gratiam; ergo etc. 10

[3] In contrarium est quia secundum AVGVSTINVM libro LXXXIII QVESTIONVM Deo auctore nemo fit deterior; set *π186ra* homo est de- | -terior per quodcunque peccatum; ergo nullum peccatum est in nobis a Deo.

[4] Responsio. Tenendo opinionem supradictam de peccato 15 originali, quod peccatum originale in paruulo uel adulto sit esse iuste priuatum iustitia originali quam omnes habere debebant, quam iustam carentiam cum debito habendi eam ALII uocant reatum pene, quem incurrimus ex peccato primi parentis, quia esse iuste priuatum aliquo dono nihil aliud est quam esse reum, ut non habet tale 20 donum, sic facile est respondere ad hanc questionem dicendo quod talis reatus qui peccatum dici potest prouenit in nobis a primo

7 agens ... patiente] cf. *Auct. Ar.*, 6, 150 (187,57); Arist., *De an.*, III, 5, 430a18-19

11 Augustinum ... 12 deterior] Aug., *De diu. quaest.* 83, 3 (12) et 4 (13); ap. Thom., *De malo*, 3, 1, sed contra (66,112-115)

15 supradictam] cf. supra, II, 30, 3

parente, ipsa tamen pena quam incurrimus est in nobis a Deo. Primum patet, quia obligatio ad penam est ex aliqua culpa; set reatus
 25 est debitum pene siue obligatio ad penam; ergo est in nobis ex aliqua culpa et, cum insit ab origine, oportet quod sit ex culpa alicuius a quo originem contraximus. Set hoc non est Deus, qui animam creat, quia, ut ait HIERONYMVS in Omelia de filio prodigo, *Deus est in quem peccatum cadere non potest*; ergo a culpa hominis
 30 inest nobis talis reatus (hominis dico illius qui fuit principium omnium), nam reatus communis est omnibus. Qualiter autem ex peccato unius possit in alio reatus esse, patebit in sequente distinctione.

[5] Secundum patet sic: illud quod per sui influentiam est alicuius
 35 causa conseruatiua per subtractionem sue influentie est causa eius priuatiua, ut patet de sole respectu luminis; set Deus per suam influentiam est causa gratie in uoluntate et rectitudinis uirium sensitiuarum ad rationem nec non et immortalitatis et impassibilitatis status innocentie; ergo ipse substrahendo suam influentiam causa est
 40 carentie omnium istorum. In hoc autem consistit tota pena originali debita; ergo etc.

[6] Ad primum dicendum quod peccatum originale prout nominat reatum non contrahitur ex hoc quod anima carni unitur absolute, nam et hoc fuit ante peccatum et semper fuisset, si status ille durasset.
 45 Set contrahitur per hoc quod totum compositum ex anima et corpore traducitur modo quo dictum est supra ab eo qui peccauit.

[7] Ad secundum dicendum quod originale non contrahitur ab alio agendo in natura presupposita, set contrahitur cum natura traducta quam traducit pater in filium in quantum pater naturam habet in
 50 actu et filius in potentia, et ideo quoad hoc pater perfectior est filio.

23 ipsa ... Deo] cf. Alb., *S.th.*, II, 17, 108, 3, sol. (307a); Thom., *Super Sent.*, II, 32, 2, 1, sol. (833); Bonau., *Super Sent.*, II, 32, 2, 2, resp. (768a); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 32, 1, 4, resp. (277b); Aeg. Rom., *Ord.*, II, 32, 2, 1, resp. (466bB-C); Rich. de Mediau., *Super Sent.*, II, 32, 3, 1, resp. (401a)

28 Hieronymus ... 29 potest] ap. Lomb., *Sent.*, II, 7, 2 (359,17-18); II, 25, 2 (462,23- 27); ex Hier., *Epist.* 21 (139,22-140,3)

32 patebit ... distinctione] cf. infra, II, 33, 1

46 modo ... supra] cf. supra, II, 31, 1

34 illud ... 35 influentie] Questione 1. *i.m. add. π* 46 modo ... supra] distinctione 31 questione 1. *i.m. add. π*

QVESTIO TERTIA

VTRVM OMNES ANIME AB ORIGINE SINT EQVALES

[1] Tertio queritur utrum omnes anime ab origine sint equales. Et uidetur quod non, quia uidemus hominem unum esse naturaliter subtiliorem altero; set hec diuersitas esse non potest ex parte corporis, 5 ut probabo; ergo est ex parte anime. Minoris probatio, quia si diuersitas subtilitatis intellectuum esset ex parte corporis, hoc esset, quia intellectus utitur corpore ut subiecto uel ut obiecto; non quia utatur corpore ut subiecto, quia non est uirtus organica, nec quia utatur eo ut obiecto, quia eodem obiecto proposito in phantasia 10 duorum eodem modo disposita adhuc contingit unum subtilius intelligere quam alterum; quare etc.

[2] Item articulus dicit quod dicere animam Christi non esse nobiliorem anima Iude error est; set eadem ratio uidetur esse de animabus aliorum; ergo etc. 15

[3] In contrarium est quod dicitur III Metaphysice quod *species equaliter predicatur de indiuiduis*; set istud non esset, si forme substantiales secundum se essent inequales; ergo etc.

[4] Responso. Dicendum quod equalitas uel inequalitas animarum potest attendi dupliciter, scilicet secundum perfectionis earum 20 gratuita uel secundum perfectiones naturales. Si queratur de equalitate animarum quoad perfectiones gratuitas, sic dicendum est quod anime non sunt inequales ab origine, set inequales, quia cum he perfectiones dependeant ex sola liberalitate diuina que communicat eas quibusdam, quibusdam uero non ut placet, et 25 quibus communicat, communicat equaliter uel inequaliter secundum suum beneplacitum, et per hunc modum anima Christi ab origine excessit omnes alias animas in donis spiritualibus; ab instanti enim
 π186rb sue creationis perfecta fuit do- | -nis gratie et glorie, quod nemini alii concessum est; isto etiam modo anima Ade et Eue, que create sunt 30 cum originali iustitia fuerunt perfectiores animabus omnium posteriorum, que statim ut sunt, obnoxie sunt peccato originali, ut dicitur istud esse ab origine quoad tempus, quia non prius duratione fuerunt quam sub ista inequalitate.

13 articulus ... 14 est] cf. *Articuli condempn. a Steph. Ep. Paris. anno 1277*, 124 (116)

16 III ... 17 indiuiduis] Arist., *Metaph.*, III, 3, 999a12-13; ap. Thom., *Quodl.*, III, 3, 1, ad arg. (249,86-88)

35 [5] Si uero comparentur anime quoad perfectiones naturales, tunc
 est distinguendum, quia uel comparentur quoad essentias suas uel
 quoad proprietates naturales essentiam consequentes, aut quoad
 proprietates communes toti composito uel subiecto, sicut sunt
 40 potentie uegetatiue et sensitiue, aut quoad proprietates proprias ipsi
 anime, in quibus non communicat corpori ut subiecto, sicut sunt
 intellectus et uoluntas.

[6] Si comparentur quoad proprietates toti composito communes,
 sic non omnes anime sunt equales ab origine, immo in una sunt
 nobiliores et perfectiores potentie sensitiue et uegetatiue quam in alia.
 45 Cuius ratio est quia sicut diuersitas actuum transeuntium in aliud
 secundum rem prouenit ex diuersitate principii actiui uel ex diuersa
 dispositione subiecti receptiui, sic diuersitas actuum transeuntium in
 aliud solum secundum rationem prouenit ex diuersa perfectione
 principii elicitui uel ex diuersa representatione obiecti; set actus
 50 sensitiue et uegetatiue potentie sunt diuersi et inequales in
 perfectione, quia unus perfectus et clarius uidet et audit acutius quam
 alius; ergo istud est uel diuersitate potentie cognoscitiue uel ex
 diuersitate obiecti; non ex diuersitate obiecti, quia idem obiectum
 eodem modo representatum uidetur uel auditur perfectius ab uno
 55 quam ab alio, ergo est ex diuersitate potentie; non sunt ergo equales,
 set potius inequales. Et istud uidetur multum sufficere ad saluandum
 articulum, cum solum dicat articulus quod anime sunt inequales,
 non determinando in quibus.

[7] Si uero comparentur quantum ad proprietates proprias ipsi
 60 anime, ut sunt intellectus et uoluntas, sic difficile est uidere quomodo
 inter duas animas sit inequalitas perfectionis quantum ad has
 potentias, nisi ponatur inter eas inequalitas quantum ad essentias,
 quia huiusmodi potentie respiciunt essentiam anime tanquam
 proprium et per se subiectum cui insunt inseparabiliter. Vnde sunt in
 65 anima separata sicut in coniuncta; et ideo non uidetur quod in
 talibus potentiis possit esse inequalitas, nisi ponatur inequalitas in
 animabus quantum ad essentias. Quod potest sic probari: si in talibus
 potentiis esset inequalitas, hoc esset ex parte subiecti uel ex parte
 agentis; subiecto enim et agente eodem modo se habentibus necesse

est effectum eodem modo se habere, ut deductum fuit libro primo 70
 distinctione 17 questione 6; set talis inequalitas non potest esse ex
 parte subiecti nec ex parte agentis; ergo etc. Minor probatur, primo
 quod ex parte subiecti non possit esse talis inequalitas, supposita
 equalitate animarum quoad essentias, quia equalitas subiecti non
 potest esse causa inequalitatis proprietatum, quia identitas ut sic non 75
 est causa diuersitatis nec equalitas inequalitatis. Neque ex parte
 agentis, quia, quanuis Deus causans animas posset in animabus
 equalibus quoad essentias communicare inequales proprietates seu
 potentias, si tamen natura rerum hoc permetteret, tamen sicut dicit
 beatus AVGVSTINVS Super Genesim ad literam in 80
 institutione rerum, et eadem ratio est de productione animarum que
 sunt a solo Deo, non est querendum quid Deus possit, set quid
 natura rerum premitit. Cum igitur equalitas in essentiis animarum
 non requirat inequalitatem potentiarum per se, set potius oppositum,
 non est probabile quod in animabus equalibus secundum essentiam 85
 sit inequalitas potentiarum per se et inseparabiliter consequentium
 essentias. Si ergo possibile est inequalitatem esse in animabus quoad
 tales potentias, possibile est inequalitatem in eis esse quoad essentias,
 et si non, non.

[8] De hoc ergo inquirendum est an anime possint quoad essentias 90
 esse inequales. Et uidetur probabiliter loquendo quod in animabus
 non possit esse inequalitas essentiarum nec in quibuscunque formis
 substantialibus. Quod probatur primo sic: in quibuscunque formis
 eiusdem speciei est dare perfectius et imperfectius, nobilius et
 ignobilius secundum intentionem, ibi est dare magis et minus 95
 proprie dicta, | et hoc apparet ex VII P h y s i c o r u m , ubi
 dicitur quod propria comparatio secundum magis et minus est eorum
 que participant unam formam secundum speciem, set secundum
 alium gradum; set si in animabus est inequalitas quoad essentias
 secundum perfectius et imperfectius, nobilius et ignobilius, 100
 inequalitas talis esset in eadem specie et secundum intentionem, quia
 in formis excepta quantitate non est alius gradus nisi secundum

70 ut ... 71 6] cf. supra, I, 17, 6, §6 (58va)

80 Augustinus ... 83 premitit] Aug., *De Gen. ad litt.*, II, 1 (33,2-5); ap. Thom., *De pot.*, 5,
 5, arg. 16 (141b)

96 VII ... 99 gradum] Arist., *Phys.*, VII, 4, 248b6-7

intentionem; ergo secundum formas substantiales esset dare magis et minus, et sic unus ignis diceretur magis ignis quam alius, et unus
 105 homo magis homo quam alius, quod nullus dicit, et est contra PHILOSOPHV M in P r e d i c a m e n t i s et ubicunque legitur de hac materia.

[9] Secundo, quia in formis substantialibus, si esset talis gradus, hoc esset uel ex parte subiecti uel ex parte agentis uel ex parte
 110 dispositionum precedentium uel concomitantium introductionem forme substantialis in materia; non ex parte subiecti, quia materia in qua immediate recipitur forma substantialis cuiuscunque rei generabilis et corruptibilis, non habet gradus inequalitatis, ratione quorum possit esse inequalitas in formis. Nec ex parte agentis, quia
 115 diuersitas agentis uel esset secundum speciem uel secundum numerum. Si secundum speciem illa per se non causaret diuersitatem nisi secundum speciem, et non secundum magis et minus in eadem specie, de qua nunc querimus. Si uero diuersitas agentis esset solum secundum numerum uel illa agentia essent equalia, et sic non
 120 causarent nisi equales effectus uel essent inequalia et differentia secundum magis et minus, et tunc querendum esset de causa istius differentie, quia uel esset ex parte subiecti uel ex parte agentis uel dispositionum, sicut prius, et procederetur in infinitum, quod est inconueniens.

[10] Nec ex diuersitate dispositionum, ex qua tamen tenentes
 125 oppositum sumunt probabilibus argumentum, dicentes quod actus actiuorum sunt in patiente et disposito, propter quod cum materia plus et minus disponatur, recipitur in ea forma perfectior uel imperfectior. Vnde in corpore melius disposito recipitur anima
 130 nobilior, et in corpore minus disposito recipitur ignobilior. Istud autem non ualet, quia, si ex parte dispositionum esset inequalitas formarum substantialium, non minus, immo magis esset ex parte dispositionum existentium in materia cum forma quam ex parte dispositionum precedentium introductionem forme, quia ille
 135 corrumpuntur in aduentu forme, sicut earum subiectum. Nunc est

106 Philosophum ... Predicamentis] Arist., *Cat.*, 5, 3b33-4a9

ubicunque] Arist., *Metaph.*, VIII, 3, 1044a9-11; *Auct. Ar.*, 1, 204-205 (132,45-50)

130 in ... ignobilior] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 32, 2, 3, sol. (839); *S.th.*, I, 85, 7, resp.; cf. H. Wels, *Durandus de St. Porciano*, 370-387

ita quod ex parte dispositionum concomitantium formam in materia, non potest argui aliqua inequalitas formarum substantialium. Alioquin cum in eodem supposito pro alio et alio tempore sint dispositiones inequales, sequeretur quod alio et alio tempore forma substantialis esset nobilior et ignobilior, quod est absurdum, ergo ex 140 parte dispositionum non potest argui talis inequalitas formarum. Item dispositiones materie non redundant in formam que non educitur de potentia materie nisi forte quantum ad operationes in quibus indiget materia seu corpore; set anima humana ponitur esse talis forma que non dependet quantum ad esse a corpore, nec 145 educitur de potentia materie, quanuis dependet ea a corpore quantum ad aliquas operationes sensitiuas et uegetatiuas, et quantum ad intellectiuam, prout utitur corpore ut obiecto; ergo ex diuersitate dispositionum materie uel corporis potest solum argui diuersitas animarum quantum ad predictas operationes, et non quantum ad 150 essentias.

[11] Ad primum argumentum dicendum quod diuersitas operationum intellectus est ex diuersitate corporis. Et cum dicitur quod non, quia phantasia eodem modo disposita in diuersis etc. unus intelligit melius altero, dicendum quod phantasia eodem modo 155 disposita in diuersis dispositione innata et dispositione acquisita per exercitium et doctrinam et studium, ex quibus generatur in uiribus sensitiuis apprehensiuis habitus, licet ille habitus proprie non dicatur uirtus et presentato eodem obiecto, non est probabile quod unus melius intelligat illud obiectum quam alius. Et si quis dicat 160 oppositum, cum non probetur eadem facilitate, contemnitur qua dicitur.

[12] Ad secundum scilicet argumentum patet responsio ex
 π186vb supradictis. |

156 dispositione¹ ... 157 studium] cf. Arist., *Eth. Nic.*, I, 9, 1099b9-11; X, 9, 1179b20- 21
 160 quis] cf. Aeg. Rom., *Ord.*, II, 32, 2, 3, ad 2 (472bC-D)

136 quod ... materia] Vide in [sc. libro] I distinctione 8 questione 4. *i.m. add.* π

SENTENTIA HVIVS DISTINCTIONIS XXXIII IN GENERALI ET SPECIALI

[1] *Predictis ad idem uidetur.* Superius determinauit MAGISTER de peccati originalis traductione et remissione. Hic determinat de eius aggrauatione et unitate et multitudine. Et diuiditur in duas. Primo
5 inquit utrum peccatum proximorum parentum imputetur paruulis quoad culpam. Secundo utrum quoad penam. Secunda ibi: *Et licet parentis peccatum.* Prima diuiditur in tres. Primo inquit de peccati originalis unitate, opponendo ad utranque partem, et ueritatem determinando. Secundo inquit de peccati primi parentis grauitate.
10 Tertio de eius remissione. Secunda ibi: *Hic queri solet utrum peccatum.* Tertia ibi: *Si uero queritur an illud peccatum.* Et hec est sententia et diuisio lectionis in generali.

[2] In speciali sic procedit et querit primo utrum peccatum aliquorum parentum uel omnium imputetur paruulis sicut peccatum
15 primi parentis. Et probat primo quod sic, scilicet quod eis imputentur peccata proximorum parentum, scilicet a generatione, per auctoritates AVGVSTINI ex uerbo Ex., ubi dicitur quod Deus uisitat peccata parentum in filios, et sic plura peccata poterunt contrahere ab origine. Item probat hoc, quia peccatum originale in
20 Scriptura pluraliter significatur, Ps.: *Ecce enim iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis.* Item ex multitudine peccatorum Ade, quia plura peccata fuerunt in peccato Ade, quia omnia transierunt et quia parentum proximorum peccata paruulis imputantur. In contrarium arguitur quia sic sequeretur quod paruulorum pena non
25 esset mitissima, quia non habent nisi originale, cuius contrarium dicit AVGVSTINVS. Et quia AVGVSTINVS uidetur dicere quod plura peccata sint ab origine, ostendit MAGISTER quod AVGVSTINVS super hoc indeterminate fuit locutus. Et subdit quod hoc non obstat quia peccatum originale in sacra Scriptura pluraliter nominatur, ut ibi:
30 *Ecce enim in iniquitatibus* etc., quia ibi ponitur plurale pro singulari, sicut econuerso. Aliquando ponitur singulare pro plurali, ut declarat per exempla. Postea querit utrum peccatum Ade fuerit grauius ceteris peccatis. Et ostendit quod quibusdam uisum est grauius esse, eo quod

2 Predictis ... idem] Lomb., *Sent.*, II, 33, 1 (517,25)

17 auctoritates ... 19 origine] Aug., *Enchir.*, 13, 47 (75,99-107)

ex ... Ex] *Exod.*, 20,5

20 Ps ... 21 peccatis] Ps. 51, 7

30 Ecce ... etc] Ps. 51, 7

maius nocumentum ex eo prouenit, quia in eo bona naturalia
 corrumpuntur, quia in eo sicut in principio consistebat tota natura. 35
 Postea querit, utrum istud peccatum Ade fuerit dimissum. Et
 respondet quod sic per penitentiam, non tamen propter hoc
 paradisum corporalem recuperauit. Vltimo querit, cum peccata
 parentum, excepto primo parente, non redundant in filios, secundum
 illud filius non portabit iniquitatem patris, quomodo est uerum illud 40
 quod scriptura dicit, quod peccata parentum uisitantur in filios usque
 ad tertiam et quartam generationem. Et respondet quod illud
 intelligitur de filiis qui imitantur peccata parentum, qui puniuntur
 non pro peccatis parentum, set pro peccatis propriis, in quibus
 imitati sunt malitiam parentum. Et ideo facit mentionem de tertia et 45
 quarta generatione, quia usque ad illam generationem consueuerunt
 filii parentes uidere et eorum malitiam imitari. Et tangit etiam
 mysticam expositionem, que patet in litera.

QVESTIO PRIMA

VTRVM PECCATA PROXIMORVM PARENTVM REDVNDENT IN FILIOS

[1] Circa distinctionem istam primo queritur utrum peccata
 proximorum parentum redundant in filios. Et uidetur quod sic, quia
 in habentibus symbolum facilior est transitus, ut dicitur I De 5
 generatione; set maior est conuenientia prolis ad patrem
 proximum quam ad remotum; cum ergo peccatum parentum
 primorum redundet in filios, uidetur quod peccata proximorum
 parentum magis redundant in eos.

[2] Item peccatum Ade transit in nos, quia in ipso eramus dum 10
 peccauit; set eodem modo sumus in proximis parentibus antequam
 generemur, sicut in Adam fuimus; ergo etc.

[3] In contrarium est quia qui non potest transfundere iustitiam
 nec culpam; set proximus pater non potest transfundere iustitiam;
 π187ra ergo nec culpam. | 15

5 in ... generatione] rectius Arist., *De gen. et corr.*, II, 4, 331a23-26; *Auct. Ar.*, 4, 31 (169,90-91)

[4] Responsio. Ex titulo questionis et ex argumentis factis ad utranque partem clare patet quod questio ista nullo modo querit de Adam utrum ab ipso transeat in nos aliquod peccatum; de hoc enim in precedentibus questionibus satis dictum est; set intelligitur hec
 20 questio solum de peccatis proximorum parentum et omnium aliorum ab Adam quantumcunque remotorum utrum redundant in posteros.

[5] Ad quod dicendum quod peccata parentum redundare in filios potest intelligi dupliciter, scilicet quoad culpam uel quoad penam; si quoad culpam, adhuc dupliciter: uel quoad culpam actualem uel
 25 quoad culpam originalem; si quoad culpam actualem, sic peccatum cuiuscunque parentis, etiam Ade, non transit in filium nisi per imitationem in quantum filius est imitator paternorum scelerum agendo similia que uidit uel nouit patrem egisse. Quod patet sic: peccatum actuale patris non potest redundare in actuale peccatum
 30 filii, nisi quia eadem actio numero que est patris sit ab ipso in filio uel quia similis actio peccati que precessit in patre consequenter est in filio. Primum non potest esse, quia in creaturis actio manens in agente numeratur numeratione suppositorum; pater autem et filius distinguuntur secundum suppositum; ergo impossibile est quod actio
 35 peccati eadem secundum numerum sit in patre et filio, saltem quoad actionem immanentem, in qua principaliter consistit peccatum. Et idem est de actione transeunte in materiam exteriorem saltem quoad paruulum recenter natum, in quo non potest esse executio talis actionis. Relinquitur ergo quod actuale peccatum patris non potest
 40 redundare in actuale peccatum filii, nisi quia talis actio peccati que precessit in patre tanquam in exemplari consequenter est in filio imitante scelus paternum, et hoc habet locum solum in adultis. Si uero peccatum patris dicatur redundare in filium quoad culpam originalem, sic tenendum est quod nullum peccatum proximorum
 45 parentum, uel etiam primi parentis, preter suum primum peccatum, traducitur seu deriuatur ad filios.

[6] Ad cuius euidenciam attendendum est quod siue peccatum originale sit idem quod reatus siue non, nunquam tamen est sine reatu. Et ideo ad sciendum an peccata quorumcunque parentum
 50 transeant in filios per originem, uidendum est qualiter redundant in eos quoad penam et reatum pene. Est autem duplex pena, scilicet sensus et damni, pena sensus consistit in uera passione que est ex preceptione alicuius lesiui, pena uero damni in carentiam alicuius boni superadditi.

[7] Quoad primam penam filius non est reus peccati patris nec 55
iuste punitur pro patre. Cuius ratio est quia qui non communicant in
actione non debent communicare in passione correspondente; set
pater et filius, ut supponimus, non communicant in actione culpe;
ergo non debent communicare in passione correspondente; set pena
sensus consistit in uera passione; ergo etc. Et ideo, si pater pro culpa 60
sua cruciatur, mutilatur uel fustigatur, nihil horum debet pati filius
adultus uel paruulus. Si uero loquamur de pena damni, adhuc talis
est duplex, quia uel tale damnum consistit in priuatione boni habitus,
ut cum aliquis priuatur hereditate iam habita, aut in amissione boni
nondum habitus, set tamen debiti haberi. Primo modo peccatum 65
patris non redundat in filium. Cuius ratio est quia in eo non debet
filius puniri pro patre in quo est omnino distinctus a patre; quando
enim aliquid redundat de uno in alium, hoc est ratione alicuius
unionis; set in perfectione habita filius est omnino distinctus a patre;
ergo etc. Et ideo, si pater pro culpa sua exheredaretur, filius 70
emancipatus non debet exheredari. Et eodem modo, si Adam
genuisset filium antequam peccasset, filius ille per sequens peccato
Ade non amisisset iustitiam originalem, nec consequentia ad ipsam;
quod autem dictum est, quod talis pena non debetur filio pro peccato
parentum, intelligendum est de pena, prout ipsa est uindictiua 75
culpe, quia in quantum ipsa est medicina prebens exemplum aliis, seu
cautelam contra reciduum, sic quandoque infligitur filio pro peccato
patris.

[8] Si autem loquamur de pena damni que consistit in amissione
boni debiti haberi a filio, set nondum habitus, sic filius potest iuste 80
puniri pro patre uel magis in patre. Cuius ratio est quia que sunt
unum uno actu tolluntur; set respectu boni habitus a patre et non
habitus a filio, set tamen | debiti haberi, habere actu in patre et habere
in potentia in filio sunt unum, quia propter hoc est debitum haberi a
filio, quia est actu habitus a patre, uel saltem unum dependet ex 85
altero; ergo ista simul et uno actu tolluntur. Et ideo cum pater ex
culpa sua iuste priuatur, eo quod habuit filius in patre priuatur eo
quod ex patre habere debebat, et hoc modo priuato Adam per

70 si ... 71 exheredari] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 33, 1, 2, ad 4 (855); *S.th.*, I-II, 81, 2, ad 1
76 ipsa ... 77 reciduum] cf. Thom., *S.th.*, I-II, 87, 8, resp. et ad 2
77 quandoque ... patris] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 33, 1, 2, ad 4 (855)

DISTINCTIO XXXIII QVESTIO I – II

peccatum suum, ab eo quod acceperat pro se et sua posteritate
90 priuata est iuste tota posteritas.

[9] Ex hoc patet propositum, scilicet quod peccata proximorum
parentum, uel etiam primorum, scilicet Ade et Eue, preter peccatum
eorum primum, non redundant in filios quantum ad originalem
culpam, quia cui non est concessum ut transmittat ad filios aliquod
95 donum, talis peccando non potest transmittere ad eos defectum doni
illius; set nulli parentum proximorum, nec etiam ipsi Ade, postquam
semel peccauit concessum est aliquod donum in posteros
transmittendum, set solum hoc fuit concessum primis parentibus
antequam peccarent; ergo nullus proximorum parentum peccando
100 potest transmittere in posteros defectum alicuius doni nec etiam
parentes primi nisi per suum primum peccatum, per quod amiserunt
donum supernaturale sibi collatum pro se et sua posteritate,
peccatum autem originale est carentia alicuius doni dirigentis ad
salutem cum debito habedi ipsum et dignitate seu reatu carendi eo;
105 ergo peccatum originale non potest transfundi in posteros a proximis
parentibus uel remotis propter aliquod eorum actuale peccatum, set
solum propter primum peccatum Ade.

[10] Per hoc patet ad argumentum in contrarium, quia si fuisset
proximis parentibus aliquod donum collatum pro se et posteritate, si
110 illud amisissent per peccatum suum, transfundissent in posteros illius
doni defectum.

QVESTIO SECVNDA

VTRVM PECCATVM ORIGINALE IN VNOQVOQUE SIT VNVM AN PLVRA

[1] Deinde queritur utrum peccatum originale in unoquoque sit
unum an plura. Et uidetur quod sint plura, quia unum non inclinatur
5 nisi ad unum; set per peccatum originale inclinamur ad multa, quia
per ipsum unaqueque potentia inordinate fertur ad suum obiectum;
ergo etc.

4 Et ... plura? cf. Praeposit., *Summa* (97rb); cf. J.-B. Kors, *La justice primitive et le péché originel*, 67; cf. etiam Guill. Altiss., *Summa aurea*, II, 14, 6 (523)

[2] Item pena correspondet culpe; set peccati originalis sunt plures pene, scilicet mortalitas, passibilitas et huiusmodi; ergo etc.

[3] In contrarium est quia plura eiusdem speciei non possunt esse 10 in eodem subiecto, ut patet ex V *Metaphysice*; set omnia peccata originalia sunt eiusdem speciei; ergo non potest esse nisi unum in uno.

[4] Responsio. Sicut apparet ex precedentibus peccatum originale includit reatum seu debitum habendi iustitiam originalem, qua quis 15 iuste caret, esse autem iuste reum alicuius pene seu carentie alicuius boni prouenit ex aliqua culpa, secundum cuius unitatem uel pluralitatem reatus debet dici plures uel unus. Cum igitur culpa ex qua sumus rei carere iustitia originali fuerit una, uidelicet peccatum primum primi parentis, patet quod iste reatus seu debitum carenti 20 iustitia originali sit in unoquoque tantum unus quantum est ex parte culpe ex qua sumus rei. Quantum autem est ex parte subiecti, hoc est ex parte hominis qui dicitur reus, oportet reatum esse unum, ex quo est ex uno, et in uno, quia sicut arguebatur, in uno subiecto non sunt plura accidentia eiusdem speciei differentia solum numero, ex parte 25 autem pene, cuius aliquis reus est non oportet multiplicari reatum, quia iuste aliquis reus est plurium penarum ex uno delicto maxime quantum ad penas damni, sicut scriptum est, qui in uno peccauerit, multa bona perdet.

[5] Ad primum argumentum dicendum quod unum non inclinat 30 nisi ad unum per se et directe; set unum potest inclinare ad multa tanquam remouens prohibens, sicut cum eadem columna impedit graue superpositum ne descendat et leue suppositum ne ascendat, remouens columnam facit leue ascendere et graue descendere, eodem modo peccatum originale tollens gratiam a uoluntate et per 35 consequens rectitudinem uirium inferiorum ad rationem inclinat ad multa per modum remouentis prohibens. |

π187va

[6] Ad secundum dicendum quod pena, etsi correspondeat culpe secundum iustam estimationem Dei infligentis penam, tamen non oportet quod respondeat secundum durationem, neque secundum 40 unitatem uel pluralitatem; immo plures pene infliguntur pro una

10 plura ... II *Metaphysice*] Arist., *Metaph.*, V, 6, 1016a17-24

34 eodem ... 37 prohibens] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 33, 1, 3, ad 2 (857); *S.th.*, I-II, 82, 2, ad 2

39 non ... 40 durationem] cf. Aug., *De ciu. Dei*, XXI, 11 (777-778)

culpa, quarum nulla secundum se esset commensurata, et sic est in
 proposito; auferuntur enim a nobis propter primi parentis
 ingratitude omnina que sibi pro se et pro nobis gratuito collata
 45 fuerant.

QVESTIO TERTIA

VTRVM PVERI MORTVI CVM SOLO ORIGINALI DOLEANT DE CARENTIA
 VISIONIS DIVINE

[1] Tertio queritur utrum pueri decedentes in originali doleant de
 5 carentia uisionis diuine. Et uidetur quod sic, quia sicut se habent
 pueri baptizati ad meritum Christi, ita se habent non baptizati ad
 demeritum Ade; set baptizati gaudent de merito Christi per quod
 perueniunt ad diuinam uisionem; ergo non baptizati dolent de
 demerito Ade, per quod carent diuina uisione.

10 [2] Item carere illo quod quis uellet non potest esse sine afflictione;
 set pueri uellent uidere Deum, alioquin uoluntas eorum esset
 peruersa; ergo etc.

[3] Contra. Pena paruulorum in originali decedentium est
 mitissima secundum AVGVSTINVM; set hoc non esset, si dolerent de
 15 carentia uisionis diuine. Nam secundum CHRYSOSTOMVM *in*
damnatis grauior pena est quod Dei uisione carebunt quam quod igne
cremabuntur; ergo etc.

[4] Responsio. De hac questione quoad conclusionem concors est
 doctorum sententia, scilicet quod pueri non baptizati non dolent de
 20 carentia uisionis diuine, diuersificantur tamen in assignando causam;

5 sicut ... 9 uisione] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 33, 2, 2, arg. 4 (861); *De malo*, 5, 3, arg. 2 (135,13-17)

10 carere ... 12 peruersa] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 33, 2, 2, arg. 2 (861)

13 Pena ... 17 cremabuntur] cf. Thom., *De malo*, 5, 1, arg. 3 (129,27-33)

14 Augustinum] Aug., *Enchir.*, XXIII, 93 (99,133-135)

15 Chrysostomum ... 17 cremabuntur] Ioh. Chrys., *In Matth.*, 23, 7 (317): transl. Burgundionis (90vb); ap. Thom., *Super Sent.*, II, 33, 2, 2, arg. 1 (861); cf. etiam Thom., *Exp. in Matth.*, 7,19 (129a)

18 concors ... 20 diuine] cf. tamen Alb., *Super Sent.*, IV, 1, 20, ad 3 (36a-b); Henr. de Gand., *Quodl.*, VI, 21, sol. (201,18-25); Abael., *In Epist. Pauli ad Rom.*, II, 5, 19 (169,536-170,548)

QVIDAM enim dicunt quod hoc est pro tanto, quia sciunt quod non propria uoluntate, set alterius culpam incurrerunt pro qua damnati sunt. Set hoc nihil est, quia non minus quis dolet de amissione alicuius boni ex facto alterius quam si esset ex facto suo; immunitas enim a culpa dolorem non minuit, set auget. Pueri autem priuantur 25 uisione Dei ex culpa primi parentis et non ex propria; in eis enim non est nisi reatus prime culpe, ut dictum est.

[5] Ideo ALII dicunt eos non dolere, quia *nullus sapiens dolet de amissione eius ad quod nunquam habuit facultatem* uel proportionem, sicut sapiens homo non affligitur de hoc quod non potest uolare uel, 30 si est filius rustici, de hoc quod non peruenit ad regnum uel imperium. Pueri autem non baptizati nunquam fuerunt proportionati ad hoc quod Deum uiderent, quia nec eis debebatur ex principiis nature, nec gratiam habuerunt pertingendo sacramentum baptismi, ut sic, saltem ex merito Christi, ad uisionem Dei 35 pertingerent, nec actus proprios habuerunt, per quos se ad hoc disponerent; ideo etc. Set nec istud uidetur sufficere, quia licet pueri non baptizati non habuerint in se aptitudinem ad consecutionem glorie, tamen habuerunt eam in sua radice, scilicet in primo parente, et ideo sicut filius militis, cui scilicet militi gratis collatum esset 40 imperium pro se et pro sua tota posteritate, doleret si ob culpam patris priuaretur iure imperii, ita uidetur quod pueri non baptizati doleant si sciant ex culpa primi parentis se esse priuatos uisione diuina ad quam peruenissent nisi culpa patris impediuisset.

[6] Ideo uidetur aliter dicendum quod dolor uel gaudium de 45 aliquo bono uel malo supponunt eius cognitionem; set pueri non baptizati non habent aliquam cognitionem de beatitudine seu uisione diuina; ergo etc. Minor probatur, quia ratio naturalis ex se non attingit ad cognitionem beatitudinis, set est opus predicante, sicut dicitur Rom. 10 quod *fides est ex auditu* uel diuina reuelatione, 50 paruuli autem non baptizati, licet uigeant cognitione naturali,

21 quidam ... 23 sunt] ap. Thom., *Super Sent.*, II, 33, 2, 2, sol. (862); sed cf. etiam Henr. de Gand., *Quodl.*, VI, 21, sol. (201,40-202,44)

27 ut ... est?] cf. supra, II, 30, 2, §8

28 alij] Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 33, 3, 2, resp. (288a); Thom., *Super Sent.*, II, 33, 2, sol. (863); Ioh. Paris., *Super Sent.*, II, 33, 1, resp. (206,20-25)

nullus ... 29 facultatem] Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 33, 3, 2, resp. (288a)

46 pueri ... 53 doctrinam] cf. Thom., *De malo*, 5, 3, resp. (136,81-102); Iac. Met., *Super Sent.*, II, 33 (T10orb; Vb70ra-b); Duns Scot., *Lect.*, II, 33, q. unic., resp. (322,7-13)

50 Rom ... auditu] *Rom.*, 10,17

cognitione tamen fidei carent, cum nec fidei sacramentum
susceperint nec doctrinam. Nec est credendum quod eis reueletur,
quia non subest causa seu ratio reuelandi; hoc enim solum cederet ad
55 eorum afflictionem.

[7] Set contra hoc arguitur, quia, ut tenetur communiter in
generali iudicio, omnes uidebunt Dei iudicium esse iustum pro eo
quod peccata singulorum omnibus apparebunt. Cum igitur
decedentes in solo peccato originali resurgant et ad iudicium
60 pertineant, uidetur quod tunc cognoscant | bonos premiari uisione π187vb
diuina propter suum meritum, se autem priuari eadem uisione
propter suum demeritum, uel propter demeritum primi parentis;
qualiter ergo tunc non dolebunt quando hec cognoscent, quanuis
modo possunt non dolere, quia forte hoc non cognoscunt.

[8] Et ad hoc potest dici quod iudicium proprie erit de peccatis
commissis que non sunt in pueris decedentibus in peccato originali.
Vnde sicut illi qui essent nati in puris naturalibus absque originali
peccato et sic decederent, non pertinerent proprie ad iudicium,
carerent tamen uisione diuina, que non datur nisi habentibus gratiam
70 Christi, sic pueri decedentes in originali, qui non commiserunt
aliquod actuale peccatum, non pertinebunt proprie ad iudicium,
carebunt tamen uisione diuina, quia non fuerunt regenerati per
gratiam Christi. Nec oportet quod cognoscant se esse priuatos gratia
et per consequens uisione diuina propter peccatum primi parentis,
75 cum talis cognitio pertineat ad fidem, et in ipsis ponitur esse sola
cognitio naturalis; propter quod non oportet quod doleant de
carentia uisionis diuine quam ignorant; cum enim sint perfecti in
cognitione naturali, sciunt quod cognitio naturalis non se extendit
nisi ad illud quod ipsi cognoscunt. Vel dato quod in iudicio ipsi
80 cognoscerent quod boni qui per gratiam et proprium opus aliquid
meruerunt, habebunt pro premio aliquid donum supernaturale quo
ipsi carebunt, ex hoc tamen nullum dolorem habebunt, quia in ipsis
non erit aliqua obliquitas uoluntatis, ita ut irrationabiliter doleant de
quocunque. Dolerent autem irrationabiliter de carentia uisionis
85 diuine, quia non datur nisi per gratiam Christi quam ipsi non
habuerunt nec habere meruerunt, nec oportet quod sciant se priuatos
gratia et gloria propter peccatum primi parentis.

[9] Ad primum argumentum dicendum quod pueri baptizati merito Christi ueniunt ad uisionem Dei, que non potest eos latere, et ideo gaudent de tanto bono adepto; set pueros damnatos forte latet 90 causa sue damnationis, scilicet demeritum Ade, et solum cognoscunt se non habere illam uisionem diuine essentie, ad quam homines possunt per solam gratiam Christi attingere, cuius ipsi non fuerunt participes; propter quod ipse de hoc non possunt rationabiliter dolere. 95

[10] Ad secundum dicendum quod uoluntas puerorum non est peruersa, dato quod non uelint uidere Deum uisione beata, set potius esse peruersa, si hoc uellent cum ad eam non sit accessus creature nisi per gratiam Christi, cuius ipsi non sunt capaces.

SENTENTIA HVIVS DISTINCTIONIS XXXIV IN GENERALI ET SPECIALI

[1] *Post predicta de peccato actuali.* Superius determinauit MAGISTER de peccato originali. Hic determinat de peccato actuali. Et diuiditur in partes duas. Primo determinat de peccati causalitate. Secundo de eius quidditate. Secunda in principio 35 distinctionis, ibi: *Post hec uidendum est quid sit peccatum.* Prima pars diuiditur in tres. Primo proponit intentum. Secundo prosequitur. Tertio recapitulat excludendo quandam dubitationem. Secunda ibi: *Causa et origo peccati.* Tertia ibi: *Ex his apparet.* Secunda diuiditur in tres. Primo inquirat causam efficientem tam remotam quam propinquam. 10 Secundo causam materialem siue subiectum. Tertio ex hoc concludit quasdam conclusiones. Secunda ibi: *Ostensa origine.* Tertia ibi: *Ex quo colligitur.* Hec est diuisio et sententia lectionis in generali.

[2] In speciali sic procedit MAGISTER. Et proponit primo quod intendit determinare de causa et origine peccati, tam efficiente quam 15 materiali, et de eius quidditate et diuisione. Postea dicit quod causa et origo peccati non fuit mala, set bona, quod ante primum malum non erat aliud malum, set bonum solum. Vnde quanuis mala uoluntas sit causa et origo aliquorum malorum sequentium, tamen primam

2 Post ... actuali] Lomb., *Sent.*, II, 34, 1 (525,7-8)

20 malam uoluntatem non precessit aliud malum; fuit ergo hic ordo
 quod natura bona hominis uel angeli fuit causa uoluntatis male, et
 mala uoluntas fuit causa sequentium malorum. Postea dicit quod
 subiectum mali non est nisi res bona, quia malum est priuatio boni,
 ubi autem non est bonum non potest esse priuatio boni; sicut enim
 25 morbi et uulnera requirunt corpus in quo sint sicut in subiecto, quod
 est res bona, sic peccata sunt in re | bona tanquam in subiecto. Ex ^{*π188^{na}*}
 hoc concludit quod cum dicitur homo malus idem est, acsi diceretur
 bonum malum. Et dicit quod hic fallit regula dialecticorum, qui
 dicunt quod contraria non sunt simul, malum autem et bonum sunt
 30 simul et unum originem habet ab alio, nec tamen ex hoc incidimus
 in maledictionem PROPHETE dicentis: *Ve qui dicitis malum bonum et
 bonum malum*, quia secundum AVGVSTINVM illa maledictio
 intelligitur de actionibus, ut qui dicit adulterium esse bonum uel
 orare Deum esse malum, non autem de rebus, unde qui dicit
 35 hominem, qui est bona natura, esse malum ex culpa dicit bonum esse
 malum, nec incidit in maledictionem predictam.

QVESTIO PRIMA

VTRVM RATIO BONI SIT ABSOLVTA AN RESPECTIVA

[1] Circa distinctionem istam queritur de ratione mali. Et quia *rectus*
 est *iudex sui et obliqui*, ideo queretur de ratione boni cui malum
 5 opponitur tanquam obliquum recto. Queritur ergo primo utrum
 ratio boni sit absoluta an respectiua. Et arguitur quod sit absoluta,
 primo, quia nulla relatio dicit formaliter perfectionem; set bonum
 uidetur formaliter importare perfectionem, quia unumquodque in
 tantum est bonum in quantum est perfectum; ergo bonum non dicit
 10 formaliter relationem, set aliquid absolutum.

[2] Secundo sic: illud quod conuertitur cum ente essentialiter non
 potest dicere relationem formaliter, quia non omne ens est formaliter

28 hic ... 30 simul] Aug., *Enchir.*, 4, 14 (55,56-58)

31 Ve ... 32 malum] *Is.*, 5,20

3 rectus ... 4 obliqui] *Auct. Ar.*, 6, 21 (176,15); Arist., *De an.*, I, 5, 411a5-6

relatio; set bonum conuertitur cum ente et essentialiter, ut QVIBVSDAM uidetur; ergo etc.

[3] Tertio sic: illud quod formaliter dicit relationem dicit illud 15
quod dicit ut ad alterum uel ut alicuius, quia relationis esse est ad
aliud esse; set bonum non est huiusmodi, quia non importat semper
et necessario esse alicuius bonum; nam AVGVSTINVS dicit in pluribus
locis De trinitate quod bonum et iustum et similia ad se
dicuntur; quare etc. 20

[4] Quarto bonum in Deo non dicit relationem, ergo nec in
creatura; consequentia patet, quia bonum in Deo et in creatura
habent quandam similitudinem saltem analogice. Probatio
antecedentis, quia si bonum in Deo diceret relationem, aut diceret
relationem rationis aut realem; non relationem rationis, quia tunc 25
bonum esset ens rationis nec esset in rebus, cuius contrarium dicitur
VI Metaphysice quod bonum et malum sunt in rebus; si
autem dicat relationem realem, contra, quia aut dicit relationem in
diuinis ad intra aut ad extra; non ad intra, quia tales relationes non
sunt communes omnibus personis, bonum autem equaliter omnibus 30
conuenit; nec ad extra, primo, quia multi ponunt quod Deus nullam
relationem realem habet ad extra, secundo, quia sequeretur quod
Deus esset bonus ex habitudine ad creaturas, et per consequens quod
sua bonitas aliquo modo dependeret a creatura, quod est falsum.

[5] Quinto, quia omne quod mouet est aliquid absolutum; set 35
bonum mouet appetitum; ergo est aliquid absolutum.

[6] Contra. Bonum et conueniens uidentur importare idem
formaliter; set conueniens dicit formaliter relationem; ergo et bonum.

[7] Responso. Circa questionem istam procedetur sic, quia primo
ponetur illud quod de ista questione sentiunt quidam ALII. Et 40
secundo arguetur contra positionem illam concludendo illud quod
credo uerius. Et tertio respondebitur ad rationes in contrarium.

[8] Quantum ad primum premittunt QUIDAM duas distinctiones,
quibus premissis respondent ad questionem. Distinctiones, que
premittuntur, sunt de terminis questionis, scilicet de absoluto et 45
relatiuo, et de conuertentia boni cum ente. Prima distinctio est ista
quod absolutum dupliciter potest accipi: uno modo pro non
determinato uel contracto, sicut si diceretur quod animal dicit

18 Augustinus ... 19 trinitate] cf. e.g. Aug., *De Trin.*, VII, 6, 11 (262,23-24)
27 VI Metaphysice] Arist., *Metaph.*, VI, 4, (1027b25-27)

naturam sensitivam absolute, hoc est non contractam ad hominem
 50 uel equum, et absolutum sic acceptum non distinguitur contra
 relatiuum, set contra contractum. Alio modo dicitur absolutum prout
 distinguitur contra ad aliud se habere, et isto modo absolutum
 distinguitur contra relatiuum.

[9] Secunda distinctio est quod aliquid potest conuerti cum ente
 55 dupliciter. Vno modo essentialiter, alio modo denominatiue. Primo
 modo res conuertitur cum ente, quia omnis | entitas extra animam *π188rb*
 est essentialiter realitas, et e conuerso. Secundo modo quando unum
 non est alterum essentialiter et formaliter, tamen unum non
 inuenitur sine altero, sicut ens creatum et relatio, quia dato quod non
 60 omnis essentia creata sit relatio, nulla tamen essentia creata inuenitur
 sine relatione, et ideo conuertuntur denominatiue.

[10] His suppositis dicunt quod siue absolutum accipiatur primo
 modo, scilicet pro non contracto, aut secundo modo, uidelicet prout
 distinguitur contra relatiuum, bonum semper dicit aliquid
 65 absolutum, quia uel bonum conuertitur essentialiter cum ente, et
 tunc bonum dicit absolutum, id est non contractum, sicut et ens, uel
 conuertitur cum ente denominatiue, et tunc dicit absolutum, prout
 distinguitur contra relationem. Et quia primum est notum, nec illa
 acceptio absoluti est secundum intellectum questionis. Ideo
 70 secundum probant, accipiendo quod bonum formaliter dicit idem
 quod perfectio uel aliquid ordinatum ad perfectionem. Et quia
 perfectio non dicit formaliter relationem, set naturam absolutam, que
 est fundamentum relationis, ideo secundum eos bonum formaliter
 non dicit relationem, set absolutum. Quod autem bonum dicat
 75 perfectionem uel aliquid ordinatum ad ipsam, probant unica ratione
 sic. Ratio boni dicit finem uel illud quod est ad finem, et ut sic; set
 quodlibet istorum dicit perfectionem uel illud quod est ordinatum ad
 perfectionem; ergo etc. Maior patet, quia ratio boni consistit in hoc
 quod est esse finem uel aliquid ordinatum ad finem. Minor de facili
 80 probatur, scilicet quod ratio finis et eius quod est ad finem sit esse
 perfectum uel ad perfectionem ordinatum, quia duplex est finis,
 scilicet finis intra et finis extra, et utroque modo semper dicitur finis
 ex hoc quod est aliquid perfectius his que sunt ad finem. Ea autem
 que sunt ad finem uidentur perfecta, uel simpliciter uel secundum
 85 quid, prout ordinantur ad finem. Et hec fuit minor. Sequitur ergo
 conclusio, scilicet quod formalis ratio boni sit ratio perfectionis uel
 eius quod est ordinatum ad perfectionem. Et per hoc respondent ad

argumentum in oppositum, quando dicitur quod bonum et conueniens important idem, dicunt quod uerum est secundum quod conueniens dicit non relationem formaliter, set fundamentaliter. Et 90 conueniens sic acceptum nihil aliud est quam perfectiuum rei, sicut eius perfectio, uel pertinens ad perfectionem.

[II] Addunt autem ISTI ad maiorem declarationem dicti sui quod ratio boni est diuersa a ratione entis, non sic quod ratio boni dicat aliquid diuersum re uel ratione ab omni ente et ab omni modo 95 entitatis, set quia dicit aliquid diuersum ab eo quod primo occurrit de qualibet entitate, prout in quolibet inuenitur. Illud enim quod primo occurrit de qualibet entitate est quod secundum eam aliquid dicitur esse tale, puta secundum albedinem album et secundum calorem calidum, et sic de aliis, bonum autem dicit entitatem, prout 100 pertinet ad perfectionem alicuius. Vnde sicut differentia, puta rationalitas, non dicit aliquid diuersum re ab animalitate communiter dicta, set dicit animalitatem sub speciali ratione, scilicet ut est talis, et sic contracta, et per hoc dicitur differre ab ea secundum rationem, quia dicit illud idem sub ratione differente ab eo quod primo occurrit 105 de animalitate, ita et bonitas dicit entitatem sub determinato modo, qui differt ratione ab eo quod primo occurrit de entitate in quocunque sit et cuiuscunque sit; set hoc interest inter istam determinationem et illam, quia determinatio generis per differentiam est ad partem subiectiuam, puta ad esse hoc, et propter hoc nomen 110 conuertitur cum genere; set determinatio entis per bonum non est ad partem subiectiuam, quia conuertuntur, nec est ad esse hoc et non ad illud, set ad esse huius. Nam quanuis aliquod esse sit huius quod non est bonum huius, est tamen bonum simpliciter, quia nullum ens est quod non pertineat uel non sit natum pertinere ad perfectionem 115 alicuius. Exemplum de uino quod non est bonum infirmo, est tamen bonum sano, et de calore febrili qui non est bonus homini ut est homo, qui tamen est bonus homini ut est quantus, quia nullus calor repugnat quanto, set est perfectio eius uel alicuius antecedentis ad ipsum, puta materie, et sic omnis entitas est aliqua bonitas et alicuius, 120 quanuis non huius determinate. Hec est positio ALIQVORVM cum motiuis et declarationibus suis.

[12] Quantum ad secundum intendo arguere contraria que dicit precedens opinio. Primum est quod bonum potest conuerti cum ente essentialiter, et sic bonum dicit aliquid | absolutum, hoc est non 125 contractum. Secundum est quod, si bonum non conuertatur cum

ente essentialiter, set denominatiue, tunc bonum dicit absolutum prout distinguitur contra relatiuum. Tertium est de hoc quod dicit, quod bonum dicit formaliter perfectionem uel aliquid ordinatum ad
 130 ipsam, et de declaratione quam addunt qualiter bonum contrahit ens.

[13] Contra primum arguitur quadrupliciter ostendendo quod bonum non potest essentialiter conuerti cum ente. Primo sic, supponendo tria. Primum est quod formalis ratio boni est ratio realis et non formata per animam, sicut intentiones logice, et hec
 135 suppositio habetur ex VI *Metaphysice*, ubi dicitur quod bonum et malum sunt in rebus. Secundum est quod ratio boni est ratio positia, et hoc est de se notum, cum ratio mali sit priuata. Tertium est quod ratio boni differt a ratione entis, alioquin esset nugatio dicere ens bonum. Tunc arguitur sic: illa que sunt idem
 140 essentialiter et adequate non differunt re nec tali ratione, set quicquid conuertitur cum ente essentialiter est idem cum eo essentialiter et adequate; ergo non differt ab ente re nec ratione reali, set bonum differt ab ente saltem ratione reali quam non format solus intellectus, ut patet ex prima et tertia suppositione; ergo bonum non potest
 145 conuerti cum ente essentialiter. Maior patet, quia illa que sunt idem in eo in quo sunt idem non possunt differre. Illa autem que sunt idem essentialiter et adequate sunt idem omni modo identitatis realis. Ex quo enim sunt idem essentialiter sunt idem realiter. Ex quo sunt idem adequate sequitur quod, si sint idem realiter, quod unum nihil
 150 reale includit quod non includat alterum, nec dicitur realiter de aliquo de quo non dicatur alterum, alioquin non esset ibi identitas essentialis et adequate. Minor probatur, scilicet quod quicquid conuertitur cum ente essentialiter est idem cum eo realiter et adequate, quia talia de se inuicem in abstracto predicantur, et ideo
 155 idem sunt realiter, et quia predicantur de se inuicem conuertibiliter, ideo sunt idem adequate, et sic est ibi omnimoda identitas realis. Hoc etiam patet ex exemplo eorum, quia enim res et ens extra animam, de quo loquimur, conuertuntur essentialiter, ideo omnis realitas est entitas, et omnis entitas realitas est adequate, nec differunt aliqua
 160 reali ratione, set sunt nomina penitus synonyma, et idem necessarium est dicere de omni eo quod essentialiter conuertitur cum ente, si illud sit formaliter positium.

[14] Secundo sic: ab eo quod includit omne positium reale et de eo dicitur per se in primo modo nihil positium potest differre re nec reali ratione tanquam ei indiuisum, quanuis possit differre, sicut 165 inferius a superiore; set ens secundum communem rationem entis includit omne reale positium, et de eo dicitur in primo modo dicendi per se; ergo nihil reale positium potest differre ab ente, nec re nec reali ratione tanquam aliquid condiuisum contra ens, set solum sicut inferius contentum sub ente; bonum autem est aliquid 170 positium et reale, ut patet ex duabus primis suppositionibus, et differt reali ratione ab ente, ut patet ex tertia; ergo quanuis possit differre ab ente ut inferius a superiore suo, nullo tamen modo potest differre ab ipso ut condiuisum, differret autem ut condiuisum, si conuerteretur cum eo essentialiter, et nihilominus differret reali 175 ratione, quia cum una ratio non contineatur sub altera, oportet quod sint condiuise. Maior propositio patet, quia illud quod includit aliqua sic quod essentialiter dicitur de quolibet eorum non potest condiuidi contra illa, nisi sicut condiuiditur ratio inferioris a ratione superioris, ut patet de animali respectu omnium de quibus dicitur 180 essentialiter in primo modo distinctione per se et in omnibus consimilibus. Minor manifesta est, quia omne reale positium et secundum omnem realem rationem includitur in ente secundum communem rationem entis, et recipit eius predicationem in primo modo dicendi per se. 185

[15] Tertio sic: ratio boni, per quam differt ab ente, aut est sola ratio entitatis in communi aut preter illam includit aliquam aliam rationem. Si sit sola ratio entitatis, tunc ratio entis et ratio boni non differunt, quod est contra tertiam suppositionem; si includat aliquam aliam, aut de illa alia predicatur ratio entis, aut non. Si non, ergo illa 190 non est ens, et ita non est aliquid positium, quod est contra secundam suppositionem. Si autem de illa predicetur ratio entis, aut predicatur de ea conuertibiliter aut non conuertibiliter. Si conuertibi-
 π188vb | -liter, ita quod uerum sit dicere quod omnis ratio entis est illa ratio et omnis illa ratio est ratio entis, sequitur quod sint penitus eadem 195 ratio, quia propositio affirmatiua non uerificatur nisi ex identitate predicati cum subiecto. Si autem non conuertibiliter, sequitur quod ratio boni sit in minus quam ratio entis, et ita non conuertitur essentialiter cum ea.

[16] Quarto patet idem inducendo uniuersaliter in omnibus que 200 essentialiter predicantur de pluribus et in quid, siue sit species siue sit

genus infimum siue genus subalternum siue genus generalissimum, quia nunquam plura predicantur conuertibiliter et in quid de eisdem nisi sint nomina synonyma. Verbi gratia de omnibus hominibus
 205 nullum nomen predicatur in quid nisi nomen hominis uel quod est cum eo synonymum, nec de omnibus speciebus animalis nisi animal uel nomen synonymum cum eo, et sic de omnibus generibus usque ad substantiam inclusiue. Alioquin unum quid haberet plures rationes quidditatiuas, quod est impossibile. Cum ergo ratio entis
 210 dicatur de posituiis omnibus in quid, impossibile est quod aliqua alia ratio dicatur de eis in quid, nisi sit alia solum secundum nomen. Cum ergo ratio boni sit alia a ratione entis, impossibile est quod cum ea conuertatur essentialiter et quidditatiue. Et sic patet primum, scilicet quod bonum non potest conuerti essentialiter cum ente, et
 215 idem dico de quocunque alio, siue positiuo siue priuatiuo, quia, si sit positiuum, necesse est quod sit in minus essentialiter, quanuis possint conuerti concretieue. Si uero sit priuatiuum, ut unum non potest conuerti essentialiter, quia nulla est priuatio de essentia posituii quanuis possit sequi ad eam necessario, sicut ad esse hominem
 220 sequitur necessario non esse asinum.

[17] Contra secundum dictum arguitur tripliciter ostendendo quod bonum non dicit formaliter aliquid absolutum, set respectum conuenientie fundatum in aliquo absoluto. Primo sic: si bonum dicit formaliter aliquid absolutum, quod est fundamentum conuenientie
 225 et non ipsum respectum conuenientie, tunc malum dicit formaliter priuationem talis fundamenti et non priuationem conuenientie, quia malum est priuatio boni; set hoc est falsum; ergo et primum. Quod hoc sit falsum, patet manifeste, quia secundum ALIOS et secundum ueritatem calor febrilis est malus homini in quantum homo, hoc
 230 autem non est propter defectum caloris, set propter defectum conuenientie; est enim calor, set non conueniens; ergo etc.

[18] Secundo sic: opposita absoluta non possunt simul conuenire eidem et secundum idem, sicut idem corpus secundum eandem partem non potest simul esse album et nigrum, que opponuntur
 235 contrarie, nec idem oculus potest simul esse cecus et uidens, que opponuntur priuatiue, et sic de omnibus aliis absolutis, nec oportet addere respectu eiusdem, quia absoluta non includunt respectum in sua intrinseca ratione secundum quam opponuntur, et secundum quam remanet inter ea secundum se oppositio et impossibilitas ad
 240 quicquid aliud comparentur, ut patet in exemplis adductis et in

quibuscunque aliis absolutis; hoc enim est spirituale in relationibus ex ipsa natura relationum, que est esse ad aliud, quod opposita possunt simul eidem inesse respectu diuersorum, sicut idem est pater et filius respectu diuersorum et idem homo per eandem albedinem est similis albis et dissimilis nigris, set non est simul albus et niger 245 respectu quorumcunque, quia albedo et nigredo sunt absoluta, similitudo et dissimilitudo sunt relationes; nunc est ita quod bonum et malum, que opponuntur priuatiue, simul conueniunt eidem et secundum idem, quanuis non respectu eiusdem, sicut uinum est bonum sano et malum infirmo, et idem calor febrilis est malus 250 homini respectu complexionis sibi debite, et est bonus respectu quantitatis sue, ut aduersarii dicunt; ergo bonum et malum non sunt absoluta, set respectu conuenientie, et priuatio eius.

[19] Tertio sic ex dicto EORVM: illud cuius formalis ratio consistit in hoc quod est esse huius est formaliter respectus aliquis; set formalis 255 ratio boni consistit in hoc quod est esse huius; ergo etc. Maior patet de se, quia esse huius dicit respectum formaliter. Minor probatur, quia in illo consistit ratio formalis boni et non solum fundamentalis per quod bonum contrahit ens; set bonum per hoc quod est esse huius, ut IPSIMET aduersarii dicunt; ergo etc. 260

π189^{ra} [20] Quantum ad tertium, quod dicunt quod bonum dicit formaliter perfectionem uel aliquid ad perfectionem or- | -dinatum, quod probant ex ratione finis et eius quod est ad finem ostendendo quod nec ratio ualet, uel est contra EOS, nec econuerso. Quod ratio non ualet, patet, quia quando dicitur in maiore quod ratio boni dicit 265 finem uel id quod est ad finem ut sic, aut intelligitur de ratione importata formaliter per hoc nomen finis et ad finem, aut de ratione rei, cui competit esse denominatiue finem uel ad finem. Si primo modo, est contra eos, quia ratio formaliter importata per hec nomina finem et ad finem, est respectiua, sicut ratio cause; nulli rei enim 270 competit esse finem nisi respectu alterius, nec ad finem nisi respectu finis, et sic ratio boni esset respectiua, sicut ratio finis ad finem. Si autem intelligatur de ratione rei secundum se, cui rei competit denominatiue esse finem uel ad finem, nihil est dictum, quia sanitati competit esse finem respectu medicine et homini respectu omnium 275 artificialium et naturalium, que sunt sub ipso, et Deo respectu omnium; set nunquid propter hoc potest dici quod ratio boni sit esse sanitatem uel hominem uel Deum? certe non est uerum, imo esset ridiculum; nullo ergo modo formalis ratio boni est esse finem uel ad

280 finem, si sic accipiantur, quanuis utrisque, scilicet rei que est finis et
 rei que est ad finem conueniat ratio boni. Set nullum argumentum
 est, talibus competit ratio boni; ergo formaliter ratio boni consistit in
 formali ratione talium, alioquin cum ens competat omnibus, formalis
 ratio entis in communi consisteret in formali ratione cuiuslibet entis
 285 particularis. Eodem modo, quando dicitur in minori, quod finis et id
 quod est ad finem dicunt perfectionem, si intelligatur de rationibus
 importatis per hec nomina, falsum est, quia dicunt habitudines
 respectiuas, si uero de rebus quibus denominatiue competit esse
 finem uel ad finem, uerum est quod eis competit esse perfectionem
 290 uel esse perfectum, set formalis ratio eorum non est esse perfectum
 uel esse perfectionem, quia licet Deo conueniat esse perfectum et
 hominibus et multis aliis, tamen formalis ratio hominis non est esse
 perfectum, set esse animal rationale, et idem de aliis, nec esse
 perfectum dicit formalem rationem eorum. Et sic patet quod nec
 295 maior propositio nec minor habent ueritatem in aliquo sensu, ex quo
 possit concludi quod formalis ratio boni dicat perfectionem uel
 aliquid ordinatum ad perfectionem.

[21] Quod autem additur ad declarationem istius magis est ad
 obscuritatem eius. Assumitur enim quod bonum contrahit ens non
 300 ad partem subiectiuam uel ad esse hoc, sicut differentia contrahit
 genus, set ad esse huius; et ideo potest conuerti cum ente, quia omnis
 entitas est bonitas alicuius, quanuis non cuiuslibet. Primum enim,
 scilicet de contractione entis per bonum et non ad partem
 subiectiuam, est falsum, quia id quod contrahit ens ad aliquid de quo
 305 ens per se et essentialiter predicatur, contrahit ipsum ad partem
 subiectiuam; set quicquid contrahit ens contrahit ipsum ad aliquid
 aliud de quo essentialiter predicatur, quia de quocunque predicatur
 ens predicatur de ipso essentialiter; ergo etc. Similiter secundum, de
 conuersione entitatis cum bonitate, uel est falsum et contra EOS, si
 310 accipiatur entitas secundum suum totum ambitum, quia talis
 conuersio esset essentialis, quod est impossibile, ut ostensum fuit, et
 contra EOS, quia dicunt quod relatio non dicit bonitatem nec
 perfectionem, et sic non omnis entitas est bonitas, uel, si accipiatur
 pro entitate absoluta, contra EOS est, quia talis entitas non est bonitas
 315 nisi ut est alicuius; sic enim, ut dicunt, ratio boni contrahit rationem
 entis; set esse alicuius non est formalis et quidditatiua ratio entitatis
 absolute, quanuis possit ei competere denominatiue; quare etc.

[22] Dicendum ergo quod formalis ratio boni est ratio conuenientis, ita quod bonitas est formaliter ipsa conuenientia, et contrahit entitatem ad partem subiectiuam, que est relatio, et ad talem relationem que est conuenientia, et sic omnis bonitas est quedam entitas, que est respectiua; set non omnis entitas est quidditatiue bonitas, ita quod non conuertuntur essentialiter, bonum uero ratione concretionis importat id quod habet talem conuenientiam ut eius subiectum uel fundamentum; et quia illud potest inueniri in quolibet genere, saltem in generibus absolutis, ideo bonum dicitur conuerti cum ente non essentialiter, set denominatiue, formalis tamen ratio boni est respectiua, scilicet | ratio conuenientie. Circa quod notandum est quod illud quod est conueniens alicui aut est ipsi conueniens intrinsece, secundum habitudinem cause materialis uel formalis, uel sicut pars quantitatiua, ut pes uel manus conueniunt homini, seu pars essentialis, ut materia et forma, necnon et perfectiones accidentales, et talibus formaliter et primo competit ratio boni, alia autem important conuenientiam ad rem extrinsece, secundum habitudinem cause efficientis, uel alterius extrinsece rationis siue conditionis, et in talibus conuenit secundario et extrinsece ratio boni, sicut sanitas dicitur bona primo et formaliter, medicina autem et urina secundario, quia utrunque extrinsece, unum per modum efficientis, aliud per modum signi.

[23] Nunc respondendum est ad rariones. Ad primum per interemptionem maioris. Aliqua enim relatio dicit perfectionem, scilicet relatio conuenientis; perfectio enim et perfectibile dicunt relationes seu habitudines, res autem quibus hec fundamentaliter conueniunt sunt quedam absoluta. Quod patet; perfectibile enim non dicit formaliter nisi habitudinem alicuius rei ad aliam, per quam habet perfici, nec perfectio dicit nisi habitudinem rei ad aliam, que per ipsam perficitur; unde perfectibile et perfectio sunt relationes; set res quibus tales rationes seu habitudines conueniunt tanquam subiectis uel fundamentis sunt absolute, et idem est de bonitate et bono.

[24] Ad secundam rationem dicendum est per interemptionem minoris quia impossibile est quod aliquid posituum conuertatur essentialiter cum ente, nisi sit pure synonymum cum eo, sicut probatum fuit.

[25] Ad tertiam similiter dicendum est per interemptionem minoris quia bonum illud quod dicit formaliter dicit ut alicuius, cum dicat

conuenientiam unius ad alterum. Et ISTIMET qui arguunt hoc dicunt in declaratione positionis sue, quia dicunt quod bonum contrahit ens non ad hoc, set ad huius, et quod entitas non est bonitas, nisi ut est
 360 perfectio alicuius. Et cum probatur quod Deus dicitur bonus et iustus ad se secundum beatum AVGVSTINVM in pluribus locis De Trinitate, dicendum quod beatus AVGVSTINVS loquitur de illis qui dicuntur absolute uel relatiue quantum ad intrinseca in diuinis; sic enim paternitas et filiatio et spiratio dicuntur relatiue in diuinis,
 365 quia non conueniunt omnibus personis que constituuntur relationibus et distinguuntur, bonum autem et iustum equaliter omnibus personis conueniunt; et ideo non sunt de relationibus intrinsecis, set quod non dicant relationem extrinsecam ad creaturam nunquam intellexit beatus AVGVSTINVS. Quod patet, quia beatus
 370 AVGVSTINVS ita loquitur de iusto sicut de bono. Constat autem quod iustum conuenit Deo relatiue ad extra, quia iustitia est ad alterum, non ad alterum in persona solum, quia Pater non utitur iustitia ad Filium uel Spiritum sanctum, nec econuerso; ergo ad alterum in natura, hoc est creatura; ergo etc.

375 [26] Ad quartam dicendum quod antecedens est falsum, quia bonum in Deo dicit relationem uel respectum formaliter, non quidem respectum ad intra, set ad extra, uidelicet ad creaturas; et cum dicitur quod Deus non refertur realiter ad creaturas, dicendum est quod, sicut dictum fuit primo libro distinctione 30, si relatio
 380 accipiatur pro respectu per se consequente ad naturam rei, sic Deus non refertur ad creaturas. Si autem accipiatur pro reali denominatione sumpta ex pluribus, sic Deus refertur realiter ad creaturas, cum dicitur creator uel bonus; et quod subditur quod sequeretur quod Deus esset bonus ex habitudine ad creaturas et sic
 385 bonitas eius dependeret a creaturis, dicendum quod falsum est; aliud enim est Deum dici bonum in habitudine ad creaturas et bonitatem eius dependere ad creaturas. Primum enim est uerum, set secundum est falsum; immo potius bonitas creature dependet a Deo, et propter hoc Deus dicitur bonus in habitudine ad creaturam, quia tota
 390 creatura et quicquid bonitatis et perfectionis est in ea dependet a Deo.

360 Deus ... 362 Trinitate] cf. e.g. Aug., *De Trin.*, VII, 6 (262,23-24)

379 primo ... 30] supra, I, 30, 3 (85rb-86ra)

[27] Ad quintam dicendum quod solus respectus non mouet, set absolutum cum respectu mouet tam intellectum practicum quam uoluntatem; simplex enim quidditas, licet possit mouere intellectum ad actum simplicem, qui est indiuisibilium intelligentia, tamen non potest mouere ad actum componentem, nisi accepta in habitudine ad alterum, quia actus intelligendi componens fertur in duo propter conuenientiam unius ad alterum; et sic intellectus practicus | mouetur a bono inquantum apprehendit aliquam naturam absolutam sub ratione conuenientis ad alterum.

395

π189va

400

QVESTIO SECVNDA
VTRVM MALVM SIT ALIQVA NATVRA POSITIVA

[1] Secundo queritur utrum malum sit aliqua natura positiua. Et uidetur quod sic, quia omne quod agit in alterum est quidam natura positiua; set malum inquantum malum agit; ergo etc. Probatio minoris, quia omne quod alterum corrumpit effectiue agit; sed ex hoc dicitur aliquid alterius malum, quia corrumpit ipsum; ergo malum inquantum malum agit.

[2] Item natura diuisi saluatur in diuidentibus; set ens diuiditur per bonum et malum; entium enim aliud bonum, aliud malum; ergo etc.

[3] In contrarium est quod dicit beatus DIONYSIVS 4 capitulo De diuini nominibus, quod malum *neque est existens neque in existentibus*, omnis autem natura positiua est existens per se uel existens in alio; ergo etc.

[4] Responsio. Dicendum quod formalis ratio mali est ratio priuatiua; est enim priuatio conuenientie rei ad rem. Quod patet, quia cum malum opponatur bono (non enim compatiuntur se circa idem et secundum idem, et respectu eiusdem), oportet quod opponantur relatiue uel contradictorie uel contrarie uel priuatiue. Non relatiue, quia unum non dicitur ad alterum, quia est natura relatiuorum; non enim dicitur bonum mali bonum, sicut dicitur pater filii pater, nec malum est de intellectu boni, sicut unum

11 Dionysius ... 13 existentibus] ps.-Dionys., *De diu. nom.*, 4 (256a): transl. Sarraceni

correlatiuum est de intellectu alterius. Item nec opponuntur
 contradictorie, quia alterum contradictoriorum necesse est cuiuslibet
 25 inesse, siue enti siue non enti; chimera enim est lapis uel non lapis;
 set bonum et malum non sic se habent, ut necesse sit cuiuslibet alterum
 inesse; chimera enim uel Hircoceruus nec est bonus nec est malus;
 ergo etc. Restat ergo ut opponantur contrarie uel priuatiue. Et
 quidem circa utrunque inuenitur ratio mali; dicimus enim
 30 egritudinem esse malum hominis, que tamen opponitur bono,
 scilicet sanitati contrarie; dicimus etiam quod carere pede est malum
 homini, et tamen carentia pedis in homine dicit solam priuationem;
 cum ergo ratio mali non conueniat eis pure equiuoce, oportet quod
 conueniat uni per alterum uel ambobus per tertium; non ambobus
 35 per tertium, quia contrario et priuationi, ut summa extrema
 oppositionis, nihil est commune nisi negatio, que est altera pars
 contradictionis; quodlibet enim oppositum importat negationem sui
 oppositi, negatio autem, que est altera pars contradictionis absolute et
 in sua communitate accepta, non est malum, ut statim dictum est;
 40 ergo etc. Relinquitur ergo quod ratio mali conueniat priuationi per
 contrarium; quod esse non potest, quia in priuatione contrarium non
 includitur nec ex priuatione infertur, uel quod conueniat contrario
 ratione priuationis, que semper includitur in contrario, quod
 concedimus. Patet ergo quod formalis ratio mali est priuatiua et non
 45 positua.

[5] Aduertendum tamen quod sicut bonum per prius dicitur de eo
 quod est conueniens rei intrinsece, pertinens ad eius integritatem,
 deinde et per habitudinem ad tale bonum dicitur de eis que
 conueniunt rei extrinsece, tanquam causantia uel conseruantia uel
 50 aliter se habentia ad primam bonitatem, sic malum per prius dicitur
 de priuatione conuenientie uel eorum que conueniunt rei intrinsece,
 sicut carentia pedis uel sanitatis est malum hominis, omnia autem
 alia dicuntur mala per relationem ad istud, sicut principium
 inductiuum, uel alio modo extrinseco. Quam enim habitudinem
 55 habet unumquodque ad malum, eandem habet ad priuationem, que
 formaliter est ipsa malitia, et ab ALIQUIBVS dicitur malum in
 abstracto. Ex quibus concluditur quod malum et bonum in abstracto,

27 chimera ... malus] cf. Bonau., *Super Sent.*, II, 34, 2, 3, ad 4 (816a)

46 Aduertendum ... 62 includunt] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 34, 1, 2, sol. (875-876)

56 aliquibus] cf. Ans., *De casu diab.*, II (248); *De conc. uirg. et orig. pecc.*, 5 (146,3)

hoc est bonitas uel malitia, non sunt res, set rerum habitudines, una affirmatiua, scilicet bonitas, que est habitudo conuenientie, altera negatiua, scilicet malitia, que est priuatio conuenientie debite. 60 Malum autem et bonum in concreto naturas dicunt solum ratione subiecti, quod includunt.

[6] Ad primum argumentum dicendum quod malum in abstracto, quod est ipsa priuatio bonitatis, non corrumpit actiue, set est ipsa
 π189vb corruptio formaliter. Malum etiam con- | -cretiue, ut subiectum mali, 65 nec agit nec corrumpit ratione qua malum, malum uero concretiue, ut causa mali non corrumpit nec agit inquantum malum, set ideo dicitur malum, quia corrumpit; agit enim inquantum tale ens, puta calidum, et per se calorem causat. Concomitatiue autem causat priuationem frigidi connaturalis. Et ob hoc dicitur malum unde non 70 agit inquantum malum nec corrumpit contrarium, set inquantum tale ens predominans. Econuerso uero inquantum corrumpit dicitur malum. Sic enim priuatiuum est.

[7] Ad secundum dicendum quod bonum et malum concretiue sumpta diuidunt ens, et sic aliquid ponunt ratione subiecti, non 75 autem malum ratione mali. Abstractiue uero sumpta, scilicet bonitas et malitia, non diuidunt entitatem, set sunt condiciones entitatum, una quidem positia, scilicet bonitas, que est ratio conuenientie, alia uero priuatiua, scilicet malitia, que est carentia debite conuenientie. Et secundum hoc dicit beatus DIONYSIVS quod malum (et intelligit 80 de malo essentialiter sumpto quod est ipsa malitia) non est existens per se nec in existentibus tanquam aliquid positium.

QVESTIO TERTIA

VTRVM BONVM SIT CAUSA MALI

[1] Tertio queritur utrum bonum sit causa mali. Et arguitur quod non, quia *bonum est sui ipsius diffusiuum* secundum DIONYSIVM; set

63 Ad ... 73 est] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 34, 1, 2, ad 4 (877-878); *S.th.*, I, 48, 1, ad 4
 4 bonum ... Dionysium] ap. Thom., *Super Sent.*, I, 34, 2, 1, arg. 4 (793); *S.th.*, I, 5, 4, arg.
 2; I-II, 1, 4, arg. 1; ex ps.-Dionys., *De diu. nom.*, 4 (168a)

5 si bonum esset causa mali, bonum non esset sui diffusiuum, set corruptibile, quia malum est corruptio boni; ergo etc.

[2] Item super illo uerbo *Matth. 7: non potest bona arbor fructus malos facere*, dicit GLOSSA: nihil medium quin boni causa bona sit et mali mala; ergo bonum non est causa mali, set malum.

10 [3] Contra. Causa mali preexistit malo; aut ergo ipsa est aliquid bonum aut malum. Si malum quero de causa eius, et sic erit processus in infinitum, uel dabitur aliquod malum eternum quod non erit causatum, set erit aliorum causa; utrunque autem horum est impossibile; ergo necesse est malum causari a bono.

15 [4] Responsio. Bonum et malum aut sumuntur abstractiue pro bonitate et malitia uel concretiue. Si abstractiue, sic unum non est causa alterius secundum aliquod genus cause. Cuius ratio est quia esse causam non competit nisi rei absolute non habitudini uel relationi; set bonum et malum abstractiue sumpta non dicunt res, set
20 habitudines et relationes, ut ostensum est in precedente questione; ergo non competit eis ratio cause uel causati per se. Si uero bonum et malum sumantur concretiue, uel sumuntur cum reduplicatione uel sine. Si cum reduplicatione, ut dicendo bonum inquantum bonum, si sit reduplicatio formalis, sic dicendum quod bonum non habet
25 rationem cause respectu mali uel respectu cuiuscunque. Cuius ratio est quia formalis reduplicatio concreti super se ipsum fit ratione abstracti; sicut si dicatur album inquantum album disgregat, sensus est quod album disgregat ratione albedinis; ergo eodem modo, cum dicitur bonum inquantum bonum est causa, sensus est quod bono
30 ratione bonitatis competit esse causam. Set probatum est statim quod bonitati, quod est bonum abstractiue dictum, non competit esse causam; ergo nec bono inquantum bonum, si sit formalis reduplicatio, sicut dictum est.

[5] Set contra hoc uidetur esse quod dicitur II
35 *Metaphysice*, quod finis est cuius gratia et bonum rei, ergo

7 *Matth ... 8 facere*] *Matth.*, 7,18

8 Glosa] *Glossa Ord. in Matth.* 7 (30b) et *Glossa* Strabonis in *Matth.* 7 (111A); ex *Aug., Contra Iulian.*, I, 8, 38 (667) et *De nupt. et conc.*, II, 28, 48 (303,3 sqq.); cf. etiam *Lomb., Sent.*, II, 34, 2, 2 (525,21-526,9); *Thom., S.th.*, I-II, 20, 2, arg. 1

18 esse ... rei] cf. *Aeg. Rom., Ord.*, II, 34, 2, 2, resp. (506aD)

20 ut ... questione] cf. supra, II, 34, 2, §5

27 album¹ ... disgregat] cf. *Arist., Metaph.*, X, 7, 1057b8-9

34 II *Metaphysice*] *Arist., Metaph.*, II, 2, 994b9-13

bono competit ratio finis uel esse causam per modum finis. Et dicendum ad hoc quod illud cui denominatiue competit esse causam semper est aliquid absolutum; set formalis ratio causalitatis seu ipsa causalitas semper est respectiua, sicut ignis uel calor eius cui competit esse causam caloris in alio est aliquid absolutum, unde ad se et 40 secundum se, exclusa omni habitudine ad alterum, dicitur et ignis et calidus; set non dicitur causa uel calefaciens nisi in habitudine et respectu ad effectum; semper enim ratio formalis cause et effectus est respectiua, set fundamentum cui competit esse causam uel effectum est esse absolutum; cum ergo dicit ARISTOTELES quod finis est gratia 45 cuius et bonum rei, uult dicere quod formalis ratio causalitatis finalis est cuius gratia fit aliquid, et ista ratio est respectiua et includit per se in primo modo formalem rationem boni, que similiter est respectiua; et sic bono quantum ad formalem eius rationem potest competere quod sit aliqua ratio causalitatis maxime finalis, uel | includatur in ea, 50 sicut superius in inferioris. Set illud cui denominatiue competit esse bonum est abstractum et eidem potest competere denominatiue esse causam.

π190ra

[6] Si uero loquamur de bono et malo concretie sumptis et sine reduplicatione, scilicet de eo quod est bonum et de eo quod est 55 malum, sic dicendum est quod bonum potest esse causa mali, sic scilicet quod res est per se causa rei uel priuationis, quibus conueniunt rationis boni et mali. Quod autem bonum hoc modo sit causa mali per modum efficientis finis et subiecti patet. Et primo de efficiente, quia calor ignis, qui est ei bonus, quia est forme sue, 60 conueniens est causa caloris excessiui in manu qui est manui malus et disconueniens, et sic bonum efficit malum. De fine autem similiter patet, quia nutritio hominis finis est occisionis bouis; occisio autem bouis mala est ei et bona est homini; quare etc. Similiter per modum cause materialis; nam oculus uel manus, que sunt hominis bona, 65 subiectum sunt egritudines que est ei mala; set quia sic loqui de bono et malo, non inquantum bonum uel malum, est loqui de eis per accidens, ideo omnes causalitates sic attribute bono respectu mali sunt per accidens, et forte similes possunt inueniri in malo respectu boni; set quia ea que sunt per accidens non cadunt sub arte, ideo hic 70 dimittentur.

[7] Quid ergo est causa mali inquantum malum, dicendum quod malum inquantum malum non habet causam finalem, quia omne quod est ad finem inquantum est huiusmodi est bonum utile; nec
 75 habet causam formalem, quia priuatio est; materialem uel subiecti non habet, quia in hoc differt priuatio a negatione quia determinat sibi subiectum non autem simplex negatio. Subiectum autem mali est natura aliqua que non est alteri conueniens, cum malum sit priuatio conuenientie, sicut calor excessiuus, puta febrilis, in homine malus
 80 est, ut fundamentum priuationis importate per malitiam, uel natura carens aliquo sibi conueniente est subiectum mali, sicut oculus carens uisu. Nam destructa forma conueniente, sicut est uisus, destruitur ratio conuenientie, talis autem natura que est obiectum mali non est subiectum eius inquantum bona, set inquantum est in potentia ad
 85 habitum et ad oppositam priuationem; hec enim est priuatio subiecti quod sit ens in potentia; per hoc enim est alterius receptiuum. Causam uero efficientem et positie influentem non habet malum, quia non est effectus, set defectus. Nihilominus tamen malum habet causam efficientem secundario et per accidens, non quidem positie
 90 influentem defectum, set positie influentem effectum ad quem sequitur defectus alicuius oppositi, sicut ignis incendens calorem ultra quam sit conueniens manui priuat conuenientiam caloris ad manum uel impediens influentiam cause agentis dicitur causare priuationem que habet rationem mali; hec autem non conuenit
 95 agenti inquantum bonum, set inquantum contrarium predominans, et hoc modo malum habet causam et non aliter.

[8] Ad primum argumentum dicendum quod illud quod est bonum et sui diffusiuum, non tamen ratione bonitatis, set ratione perfectionis que uirtualiter continet alterum, sicut calor, qui est
 100 bonus igni, diffundit se causando calorem aque propter perfectionem et dominium sue uirtutis super aquam, et per consequens causat malum in quantum priuat aquam frigiditate sibi conueniente, nec tamen propter hoc est sui corruptiuum, quia non causat malum sibi oppositum, nisi secundum communem rationem boni et mali.

[9] Ad secundum dicendum quod ibi comparatur actus exterior interiori actui uoluntatis, quorum unus est ab alio malus a malo, sicut bonus a bono, causalitas tamen respicit per se in utroque entitatem non malitiam nisi secundario et per accidens. Argumentum in oppositum bene probat quod probat bonum est causa mali, set
 110 non per se, nec inquantum bonum uel malum.

QVESTIO QVARTA

VTRVM PER MALVM CVLPE CORRVMPATVR TOTA HABILITAS ANIME AD
BONVM

[1] Quarto queritur utrum per malum culpe corrumpatur tota
 π190rb *habilitas anime ad bonum. Et uidetur | quod sic, quia omne finitum* 5
tandem consumitur ablatione alicuius finiti ab ipso, ut dicitur I I I
P h i s i c o r u m ; set anime habilitas ad bonum est finita, cum sit
aliquid creatum; cum igitur per quodlibet peccatum aliquid de hac
habilitate subtrahatur, uidetur quod ipsa tandem possit totaliter
consumi. 10

[2] Item per aliquid bonum tota habilitas seu pronitas anime ad
 malum tollitur, scilicet per gloriam; ergo similiter per aliquod malum
 tota habilitas anime ad bonum potest tolli.

[3] In contrarium arguitur quia quod est naturale non tollitur per
 peccatum; set habilitas anime ad bonum est homini naturalis; ergo 15
 non tollitur per peccatum. Probatio minoris, quia omnes homines
 naturaliter appetunt bonum, quia omnes homines naturaliter scire
 desiderant, quia scire est quoddam bonum.

[4] Responsio. Malum uel peccatum potest comparari uel ad
 bonum sibi oppositum uel ad bonum sibi subiectum uel ad 20
 dispositionem subiecti respectu boni. Si comparetur ad bonum sibi
 oppositum, sic ipsum totaliter tollit, sicut cecitas uisum et quelibet
 priuatio habitum sibi oppositum, quia priuatio et habitus non stant
 simul. Si uero comparetur ad subiectum, sic malum non corrumpit
 tale bonum nec diminuit aliquid, sicut per tenebras nihil tollitur de 25
 natura aeris. Si uero comparetur ad dispositionem subiecti quam
 habet respectu boni, sicut in anima est quedam habilitas ad uirtutem
 et ad bonum, ut patet ex I I E t h i c o r u m , que potest augeri uel
 minui.

[5] De hoc est dubium an possit totaliter corrumpi uel possit in 30
 infinitum diminui, et tamen nunquam totaliter auferri. Et dicunt
 QUIDAM quod semper talis aptitudo ad bonum peccando diminuitur,

5 omne ... 7 Phisicorum] Arist., *Phys.*, III, 6, 206b10-12; ap. Thom., *S.th.*, I-II, 85, 2, resp.
 27 in ... 29 minui] Arist., *Eth. Nic.*, II, 1, 1103a23-26

set nunquam totaliter tollitur. Quod declarant sic: *diminutio huius*
habilitatis non est accipienda per subtractionem, sicut est diminutio in
 35 *quantitatibus, set per remissionem, sicut est diminutio in qualitatibus;*
remissio autem huiusmodi habilitatis accipienda est econtrario
intentioni ipsius, intenditur autem per dispositiones quibus materia
preparatur ad actus, que quanto magis multiplicatur tanto subiectum
habilius efficitur, et econtrario tanto plus remittitur quanto
 40 *impedimenta subiecti ad actum magis multiplicantur, que, si*
multiplicarentur in infinitum, habitas subiecti diminueretur in
infinitum, nunquam tamen totaliter tolleretur, quia semper maneret in
sua radice, que est substantia subiecti, sicut si in infinitum ponerentur
obstacula inter solem et aerem, in infinitum diminueretur habitas
 45 *aeris ad lumen, nunquam tamen totaliter tolleretur manente aere.*
Similiter in infinitum potest fieri additio in peccatis, que diuidunt inter
hominem et Deum, per que semper minuitur habitas anime ad
gratiam, nec tamen tollitur totaliter ab anima, cuius naturam
consequitur.

50 [6] Set istud non uidetur, quia sicut habitas subiecti ad actum
 augetur per intentionem alicuius sibi inherentis, sic minuitur per
 remissionem eiusdem, et neutrum istorum potest procedere in
 infinitum, ut probatum fuit libro primo distinctione 17 questione 3.
 Nihil ergo subiecto non inherens minuit in aliquo habitatem
 55 subiecti. Et ideo positio obstaculorum inter solem et aerem non
 minuit habitatem aeris ad lumen; propter quod non est mirum, si
 eorum multiplicatio non tollit habitatem, quia nec in aliquo minuit.
 Vnde exemplum non est ad propositum.

[7] Ideo aliter uidetur esse dicendum quod duplex est habitas
 60 anime ad bonum, scilicet prima et remota, alia uero propinqua;
 prima et remota nunquam minuitur nec totaliter tollitur, propinqua
 uero minuitur et eadem tollitur. Primum patet, quia cognitio
 principiorum iuris naturalis et correspondens inclinatio uoluntatis
 non tolluntur ab homine nec minuuntur; pertinent enim ad

33 diminutio ... 49 consequitur] Thom., *S.th.*, I, 48, 4, resp.; *Super Sent.*, II, 34, 1, 5, sol. (888); cf. etiam Thom., *S.th.*, I-II, 85, 2, resp.; *De malo*, 2, 12, resp. (63,67-139); Bonau., *Super Sent.*, II, 35, 2, 3, resp. (834b); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 35, 4, 2, resp. (303a-b); Aeg. Rom., *Ord.*, II, 34, 2, 3, resp. (511aA-512aC); Rich. de Mediau., *Super Sent.*, II, 35, 2, 2, resp. (437a-b); Ioh. Paris., *Super Sent.*, II, 35, 2, resp. (213,17-19); Duns Scot., *Report.*, II, 35, q. unic. (178-181); Guill. Petr. de God., *Lect. Thom.*, II, 34, 1 (G49ra)

46 que ... 47 Deum] cf. *Is.*, 59,2; ap. Thom., *S.th.*, I, 48, 4, resp.

synderesim, que est inextinguibilis; set ratione horum inest nobis 65
prima inclinatio ad bonum; ergo etc. Secundum sic patet: omne
quod causatur ex actibus nostris et per eos tandem perficitur potest
per actus contrarios minui et tandem corrumpi; ex eisdem enim
actibus contrario modo factis generantur habitus et corrumpuntur, ut
patet ex II Ethicorum; set proximaabilitas ad bonum 70
causatur ex actibus nostris; illa enim consistit in habitibus acquisitis;
ergo etc. |

π190va

[8] Ad primum argumentum patet solutio; prima enimabilitas
non minuitur nec totaliter tollitur, propinqua autem et minuitur et
tollitur. 75

[9] Ad secundum dicendum quod in anima non est ex natura sua
aliqua remotaabilitas ad malum, set solum propinqua causata ex
actibus, et illa totaliter tollitur per habitum glorie. Et similiter
propinquaabilitas ad bonum minuitur per culpam, et eadem
tollitur per obstinationem, remota uero non tollitur nec minuitur in 80
damnatis.

[10] Argumentum in oppositum probat quod remotaabilitas non
tollitur, quod concedimus; quare etc.

SENTENTIA HVIVS DISTINCTIONIS XXXV IN GENERALI ET SPECIALI

[1] *Post hec autem dicendum est quid sit peccatum.* Superius
determinauit MAGISTER de peccati causalitate, hic determinat de
peccati quidditate. Et diuiditur in tres. Primo determinat de peccato 5
in genere. Secundo de differentiis peccatorum. Tertio de potentia
peccandi. Secunda in principio distinctionis 42: *Cum autem uoluntas
mala.* Tertia in principio distinctionis 43: *Post predictam
considerationem.* Prima diuiditur in tres. Primo determinat de peccato

69 ut ... 70 Ethicorum] Arist., *Eth. Nic.*, II, 1, 1103b7-8

80 remota ... damnatis] cf. Thom., *S.th.*, I-II, 85, 2, ad 3; *De malo*, 2, 12, ad 6
(64,170-175); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 35, 4, 2, ad 6 (304b); Aeg. Rom., *Ord.*, II, 34,
2, 3, ad 4 (512bA); Rich. de Mediau., *Super Sent.*, II, 35, 2, 2, ad 4 (437b)

2 Post ... est] Lomb., *Sent.*, II, 35, 1 (529,7)

7 Post ... considerationem] Post predicta, consideratione *Petr. Lomb.* (= d. 44)

per comparisonem ad actus quibus peccatur. Secundo per
 10 comparisonem ad uoluntatem in principio 38 distinctionis ibi: *Post
 predictam de uoluntate*. Prima in duas. Primo ponit peccati
 diffinitionem. Secundo ex ipsa diffinitione tangit diuersas opiniones
 circa peccata. Secunda ibi: *Quo circa huiusmodi diuersitatis uerborum
 horum occasione*. Hec secunda diuiditur in tres. Primo tangit unam
 15 opinionem. Secundo mouet quandam incidentem questionem. Tertio
 tangit contrariam opinionem. Secunda in principio 36 distinctionis
 ibi: *Sciendum est quedam sic esse peccata*. Tertia in principio 37
 distinctionis ibi: *Sunt autem et alii plurimi*. Prima cum precedenti est
 principalis lectio, et sic sunt in principio lectionis due partes
 20 principales. In quarum prima tangit peccati diffinitionem. In secunda
 tangit diuersas opiniones. Secunda autem diuiditur in tres partes,
 quia primo tangit diuersas opiniones in genere et determinat
 ueritatem. Secundo prosequitur quorundam opinionem. Tertio ponit
 illius opinionis confirmationem. Secunda ibi: *Quidam autem*
 25 *diligenter attendentes*. Tertia ibi: *Quibus opponitur*. Hec tertia
 diuiditur in tres secundum tres obiectiones quas excludit. Secunda
 ibi: *Iterum aliter eis opponitur*. Tertia ibi: *Potest etiam queri ab eis*. Hec
 tertia diuiditur in tres. Primo excludit obiectionem. Secundo inquit
 incidenter de corruptione facta per malum actiue, ostendens quod
 30 malum corrumpit et in quibus. Tertio de corruptione facta per
 malum passiue. Secunda ibi: *Set cum nihil sit inquantum peccatum*.
 Tertia ibi: *Queri autem solet*. Hec est sententia et diuisio lectionis in
 generali.

[2] In specialis sic procedit et proponit primo quod secundum
 35 beatum AVGVSTINVM *peccatum est dictum, factum uel concupitum
 contra legem Dei*. Alio modo secundum eundem AVGVSTINVM
peccatum est uoluntas recipiendi uel consequendi quod iustitia uetat.
 Secundum primam descriptionem peccatum consistit in actibus
 interioribus et exterioribus, et secundum secundam consistit in actu
 40 interiori uoluntatis, et utraque descriptio est de peccato actuali et
 mortali. Alio modo secundum AMBROSIVM *peccatum est preuaricatio
 legis diuine et celestium inobedientia mandatorum*. Postea dicit quod
 QUIDAM dixerunt quod peccatum consistit solum in actu interiori

34 secundum ... 36 Dei] Aug., *Contra Faustum*, XXII, 27 (621,12-13)

36 secundum ... 37 uetat] Aug., *Retr.*, I, 15, 4 (47,71-72); *De duab. an.*, 15 (70,15-17)

41 secundum ... 42 mandatorum] Ambr., *De parad.*, 8, 39 (296,2-4)

uoluntatis. ALII dixerunt actum tam interiorem quam exteriorem esse peccatum. ALII dixerunt omnes actus esse bonos et peccatum nihil 45 esse, sicut dicit AVGVSTINVS S u p e r I o a n n e m quod *peccatum nihil est*. Vnde secundum ISTOS actus interiores et exteriores inquantum sunt boni sunt et a Deo, inquantum autem peccata sunt nihil sunt. Quod probatur, quia nisi essent a Deo causaliter, nullo modo contingerent nec pertinerent ad Dei prouidentiam, quod est 50 inconueniens. Item omnis natura est a Deo; set actus interiores et exteriores inquantum sunt quedam nature sunt; ergo sunt a Deo. Postea obiicit in contrarium, quia si omnia inquantum sunt bona sunt et a Deo, ergo adulterium et homicidium bona sunt et a Deo. Et respondet quod adulterium et homicidium non nominant solum 55 actus, set actus cum malitia et deformitate. Postea iterum obiicit, quia quedam peccata consistunt in sola omissione | et priuatione. Priuatio autem et negatio a Deo non sunt. Et respondet quod quantumcunque peccatum consistat in omissione, semper tamen intelligitur ibi aliquis actus, scilicet priuatio a bono, quod est malum, 60 sicut econuerso declinare a malo est bonum. Vnde in omnibus talibus subintelligitur aliquis actus uoluntatis, ut uelle non credere in Deum. Postea opponit: cum peccatum sit priuatio boni et priuatio boni sit pena, si peccatum inquantum peccatum est priuatio boni, igitur erit pena; set pene sunt a Deo; ergo peccatum inquantum peccatum erit a 65 Deo, quod est inconueniens. Si uero peccatum inquantum peccatum non est pena, set est priuatio uel nihil, qualiterque ergo corrumpitur. Respondet quod sicut abstinere a cibo est priuatio et nihil tamen corrumpit substantiam, sic etiam est de peccato quod corrumpit bonum et elongat homine a Deo, inquantum efficitur Deo dissimilis. 70 Vltimo dicit quod corruptio actiua est per peccatum. Set corruptio passiuua est pena et effectus peccati. Et in hoc terminatur sententia etc.

π190vb

QVESTIO PRIMA

VTRVM MALVM SVFFICIENTER DIVIDATVR PER CVLPAM ET PENAM

[1] Circa distinctionem istam queritur primo utrum malum
sufficiens diuidatur per culpam et penam. Et uidetur quod non,
5 quia irrationalibus non est culpa nec pena que respondet culpe, et
tamen in eis inuenitur malum; ergo etc.

[2] Idem secundum AVGVSTINVM in *Enchiridion*: Malum
dicitur quia nocet; set omne quod nocet est pena; ergo omne malum
pena est.

10 [3] In contrarium est commune dictum doctorum.

[4] Responsio. Dicendum quod pena et culpa sufficienter diuidunt
malum non uniuersaliter sumptum, set prout reperitur in habentibus
liberum arbitrium. Ad cuius euidenciam sciendum est quod cum
malum sit priuatio boni, sicut est duplex bonum, unum pertinens ad
15 perfectionem primam, que est forma, seu ad integritatem rei, ut pars,
aliud pertinens ad secundam, que est operatio, sic est duplex malum,
unum quod priuat primum bonum uel magis est passio priuatiua
primi boni, et hec dicitur uniuersaliter malum nature; set in
habentibus electionem dicitur malum pene, maxime si sit contrarium
20 uoluntati. Aliud uero quod priuat secundum bonum, scilicet debitam
operationem uel debitum ordinem in operatione, seu debitam
rectitudinem, et hoc malum uocatur generaliter *peccatum*, quod
etiam reperitur in naturalibus, prout operatio naturalis non est
conueniens, ut dicitur II *Phisicorum*. Specialiter autem in
25 habentibus liberum arbitrium uocatur culpa, inquantum talis
operatio est in potestate nostra propter libertatem uoluntatis;
culpamur enim solum de his quorum habemus dominium, et ita
culpa et pena solum sunt in habentibus liberum arbitrium et in
talibus sufficienter diuidunt malum. Quod patet dupliciter. Primo,
30 quia quot modis dicitur unum oppositorum et reliquum; set bonum
humanum dicitur tantum dupliciter, scilicet de bono nature et de
bono moris; ergo malum similiter; set malum nature est malum pene,

7 Augustinum ... 8 nocet¹] Aug., *Enchir.*, IV, 12 (54,13-14); ap. Thom., *S.th.*, I, 48, 5, sed
contra

11 Responsio] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 35, 1, 1, sol. (899-900); *S.th.*, I, 48, 5, resp.; Aeg.
Rom., *Ord.*, II, 36, 1, 1, resp. (530b-532b); *Report.*, II, 75 (368-369)

22 peccatum ... 24 Phisicorum] Arist., *Phys.*, II, 8, 199a33-b4; ap. Thom., *Super Sent.*, II,
35, 1, 1, sol. (899)

malum uero moris est malum culpe; ergo etc. Secundo, quia omne malum humanum uel est malum quod uoluntarie facimus, uel inuoluntarie patimur; set primum est culpa, reliquum uero est pena; 35 ergo etc. Vtraque patet per AVGVSTINVM I De libero arbitrio.

[5] Ad primum argumentum patet solutio per iam dicta.

[6] Ad secundum dicendum quod tam malum culpe quam pene nocet, uel magis est ipsum nocumentum; malum quidem in his que 40 pertinent ad primam rei integritatem, malum autem culpe in actione; set quia nocumentum pene magis percipitur, quia est contrarium uoluntati, quam nocumentum culpe, que est uoluntaria, ideo uulgus iudicat penam magis nocere quam culpam.

QUESTIO SECVNDA

VTRVM OMNE PECCATVM CONSISTAT IN ALIQUO ACTV

π191ra |

[1] Deinde queritur utrum omne peccatum consistat in aliquo actu. Et uidetur quod sic, quia ille qui eodem modo se habet nunc ut 5 prius, si prius non peccabat, nec modo peccat; set qui solum omittit quod preceptum est, puta qui non surgit ad matutinas et tenetur surgere, similiter se habet hora matutinarum ut prius, quantum ad non surgere; cum ergo non peccet non surgendo ante matutinas, nec peccabit hora matutinarum, ut uidetur, non surgendo, nisi ponatur 10 in eo aliquis actus per quem se habeat aliter nunc quam prius.

[2] Item peccatum et meritum opponuntur; set omne meritum consistit in actu interiore uel exteriori; ergo et omne peccatum.

[3] Contra. Omnis transgressio precepti est peccatum; set in pura omissione est transgressio precepti affirmatiui; ergo ipsa est peccatum, 15 circumscripto quocunque actu.

[4] Responsio. Hic non est aliqua dubitatio nisi de peccato omissionis, quia constat quod omne peccatum commissionis consistit

36 Augustinum ... arbitrio] Aug., *De lib. arb.*, I, 1, n.1 (211,4-6 et 11-12); ap. Thom., *De malo*, I, 4, resp. (20,185-189); cf. etiam supra, II, 30, 2, §6

17 Responsio] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 35, 1, 3, sol. (905-906); *S.th.*, I-II, 71, 5, resp.

in aliquo actu exteriori uel interiori. Et idem dicunt ALIQUI de
 20 peccato omissionis, scilicet quod consistit in actu uel interiori, ut
 cum aliquis uult non facere quod preceptum est, uel exteriori, ut cum
 aliquis occupat se actibus in compossibilibus ei quod preceptum est
 fieri, sicut nimis uigilans non potest surgere ad matutinas. Ratio
 autem huius opinionis forte hec est quia uidetur QVIBVS DAM quod
 25 negatio uel omissio actus non sit in potestate nostra, nec per
 consequens culpabilis, nisi mediante aliquo actu per quem habemus
 dominium super negationem actus, quia aliud est non exire in actum
 et aliud habere causalitatem super non exire in actum, quia non exire
 in actum dicit solam negationem actus, set habere causalitatem super
 30 non exire in actum dicit aliquid posituum et actuale; nulla autem res
 habet causalitatem posituum et actualem super aliquid affirmatum
 uel negatum nisi aliquid agendo; ergo uoluntas non habet dominium
 uel causalitatem super non exire in actum nisi aliquid agendo, et sic
 secundum ISTOS puta omissio non esset peccatum nisi ratione
 35 alicuius actus per quem habemus dominium super omissionem.

[5] Set istud non uidetur. Primo quantum ad illud quod dicitur de
 actu interiore, quia uelle facere et uelle non facere quod preceptum
 est non sic opponuntur ut necesse sit alterum inesse, sicut dicimus de
 Deo quod non est necesse quod uelit mala fieri uel uelit mala non
 40 fieri, immo neutrum uult. Similiter non est necesse aliquem uelle
 obedire precepto aut uelle non obedire; forsitan enim de precepto non
 cogitat, et tamen faciens quod preceptum est peccat; ergo nihil
 prohibet peccatum omissionis esse sine quocunque actu interiore
 uoluntatis.

45 [6] Idem apparet de exteriori actu dupliciter. Primo, quia omne
 peccatum quod est contra determinatum preceptum, si consistit in
 actu, consistit in determinato actu, alioquin non esset determinatum
 peccatum; set actus impossibiles ei quod preceptum est fieri sunt
 indeterminati, sicut nimis uigilans, loquendo, orando uel studendo

19 aliqui] ap. Lomb., *Sent.*, II, 35, 2, n.3 (531,6-10), quibus assentit; in contrarium cf. Alb.,
Super Sent., II, 35, 3, ad 2 (565a-b); Thom., *Super Sent.*, II, 35, 1, 3, sol. (905-906); *S.th.*,
 I-II, 71, 5, resp.; Bonau., *Super Sent.*, II, 35, dub. I (836b); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II,
 35, 1, 2, resp. (299a); Aeg. Rom., *Ord.*, II, 35, 1, 2, resp. (518aB); *Report.*, II, 76 (369-370);
 Rich. de Mediau., *Super Sent.*, II, 35, 1, 1, resp. (430a); *Quodl.*, I, 2 (29-31); Ioh. Paris.,
Super Sent., II, 35, 1, resp. (212,10); Guill. Petr. de God., *Lect. Thom.*, II, 35, 1, resp.
 (G49rb); Iac. Met., *Super Sent.*, II, 35 (T100va-101ra; Vb70rb-70vb); cf. etiam Henr. de
 Gand., *Quodl.*, XII, 24 (128-131)

49 sicut ... 50 matutinas] cf. Aeg. Rom., *Report.*, II, 76 (370,16-29)

non potest hora debita surgere ad matutinas; ergo in nullo talium 50
actuum potest per se consistere peccatum omissionis, quod est contra
determinatum preceptum. Secundo, quia nullus peccat faciendo
quod non est malum de se nec est prohibitum; set multi actus
incompossibiles ei quod preceptum est fieri sunt huiusmodi, ut
uigilare in studio uel oratione; ergo etc. 55

[7] Ad rationem EORVM dicendum quod ad hoc quod ommissio
imputetur uoluntati non oportet quod sit in possibilitate eius
mediante aliquo actu, sicut ad hoc quod actus eius imputetur non
oportet quod ille actus sit in potestate eius mediante aliquo actu; set
ex hoc solo imputatur ei actus uel ommissio eius quia in libertate 60
uoluntatis est exire in actum uel non, quia actus uel eius oppositum
non est de necessario uolubilibus, nec habet cum eis necessariam
colligantiam; et quicquid sit de actu, respectu tamen omissionis
imputabilis, non oportet id uoluntate ponere causalitatem actualem
et positiuam, quia nulla causalitas positiuam directe requiritur ad 65
effectum priuatiuum, set sufficit non exire in actum, cuius habetur
dominium, et sic causatur a uoluntate ommissio culpabilis.

[8] Dicendum ergo quod peccatum omissionis non consistit per se
π191rb in aliquo actu, set in sola omissione, sicut et no- | -men sonat. Quod
patet, quia omnis defectus uoluntarius est culpabilis; set ommissio actus 70
debiti est huiusmodi; est enim defectus, ut de se patet, set uoluntarius
non ab actu uoluntatis cadente super defectum, ut primi dicunt, set
quia in potestate uoluntatis fuit uitare ipsum; ergo etc.

[9] Ad primum argumentum dicendum quod, licet omittens
eodem modo se habeat nunc et prius quantum ad operationem et 75
omissionem, non tamen quo ad obligationem, quia preceptum
affirmatiuum, cui opponitur ommissio, obligat pro determinato
tempore pro quo solum ommissio habet rationem culpe.

[10] Ad secundum dicendum quod non est simile de merito et de
peccato, quia *bonum* consistit *ex tota causa*, *malum* autem *ex* 80
particularibus defectibus; et ideo ad meritum requiritur actus bonus,
ad peccatum autem sufficit defectus actus uel bonitatis in actu.

QVESTIO TERTIA

VTRVM PECCATVM CONSISTAT IN ACTV EXTERIORE

[1] Postea queritur utrum peccatum consistat in actu exteriori. Et uidetur quod non, quia actus uoluntatis est medius inter actum
5 exterioris operis et interioris cogitationis; set interior cogitatio secundum se nunquam est malum quantuncunque sit de malo; ergo nec exterius opus, ut uidetur.

[2] Item actus exteriores sunt communes nobis et brutis; set in brutis tales actus non sunt culpabiles; ergo nec in nobis.

10 [3] In contrarium est quia quod est contrarium precepto est peccatum; set non solum actus interiores, uerum etiam exteriores contrariantur preceptis diuinis; quorum quedam sunt de actibus exterioribus ut *non occides, non mechaberis, non furtum facies*; ergo etc.

[4] Responso. Sicut apparet ex precedentibus, peccatum dicit
15 absolute defectum operationis uel defectum debite perfectionis in operatione. Culpa autem dicit spiritualiter defectum bonitatis moralis in operatione uoluntatis que sola est in potestate operantis. Item actus exterior potest comparari ad immediatum principium eliciens ipsum uel ad uoluntatem imperantem.

20 [5] Hoc supposito dicendum quod peccatum potest consistere in actu exteriori secundum se, id est prout comparatur ad immediatum principium eliciens ipsum; set culpa non potest consistere in actu exteriori secundum se, set solum prout comparatur ad uoluntatem imperantem. Primum patet, quia operatio que non est directa ut
25 congruit est peccatum; set talis operatio est actus exterior secundum se, sicut claudicatio non est ambulatio directa ut congruit bono pedi, et similiter potest esse in aliis; ergo etc. Et hoc modo claudicatio que est in eunte ad ecclesiam peccatum, est rectus autem incessus in eunte ad lupanar bonus. Set hec bonitas uel peccatum non sunt moris, set
30 nature.

13 non¹ ... facies] *Exod.*, 20,13-15

14 Responso] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 35, 1, 4, sol. (909-910); *S.th.*, I-II, 20, 1, resp.; *De malo*, 2, 2, resp. (33,111-163); Aeg. Rom., *Ord.*, II, 35, 1, 2, resp. (517b-519b); *Report.*, II, 77 (370-371); Guill. Petr. de God., *Lect. Thom.*, II, 35, 1 (G49ra-b); Iac. Met., *Super Sent.*, II, 35 (T101ra-b; Vb70vb)

17 que ... operantis] d. huius distinctionis *i.m. add. π*

[6] Secundum apparet, scilicet quod culpa uel peccatum in moribus non potest consistere in actu exteriori secundum se, set solum ut comparatur ad uoluntatem imperantem. Quod patet dupliciter secundum duo que sunt in actu culpabili, scilicet materia moralis, que est ex defectu conformitatis ad rationem rectam, et ex 35 imputabilitate eius. Primo sic: in essentialiter ordinatis ultimum non habet habitudinem ad primum nisi per medium; set ratio, uoluntas et actus exterior habent ordinem essentialem, ita quod actus uoluntatis medius est inter actum rationis et opus exterius; ergo opus non est natum regulari per rationem nisi mediante uoluntate; set 40 secundum hoc opus exterius habet bonitatem moralem uel malitiam quod natum est regulari per rationem; ergo etc. Secundo patet idem ex eius imputabilitate, quia per hoc aliquis actus est nobis imputabilis per quod est in potestate nostra; set actus exterior solum est in potestate nostra comparatus ad uoluntatem imperantem, non autem 45 comparatus ad suum immediatum principium solum; hoc enim modo est pure naturalis, set primo modo est uoluntarius; ergo etc. Tertio patet idem per rationem communem utriusque, quia in illo culpa est essentialiter et per se, in aliis solum concomitatiue, quo posito sine aliis habetur uera ratio culpe, aliis autem positis sine ipso 50 nihil est culpabile; set | posito solo actu uoluntatis uere et complete ponitur culpa, aliis autem positis sine ipso nihil est culpabile; ergo etc.

π191va

[7] Ad primum argumentum dicendum quod non est, si simile de actu exteriori et de cogitatione interiori, quia uirtus prioris manet in 55 posteriore et non econuerso; et ideo in opus sequens uoluntatem redundat culpabilitas uoluntatis, non autem in cogitationem precedentem, nisi assensus eius subiaceat imperio uoluntatis, sicut est in peccato infidelitatis; tunc enim assensus cogitationis in his que sunt fidei contraria culpabilis est. 60

[8] Ad secundum patet responsio ex iam dictis.

[1] *Sciendum tamen est.* Superius MAGISTER posuit opinionem circa peccati quidditatem. Hic mouet circa hoc incidentem questionem. Et primo facit hoc. Secundo circa determinata mouet aliam
 5 dubitationem. Tertio recapitulat determinata. Secunda ibi: *Illud autem diligenter adnotandum est.* Tertia ibi: *Satis diligenter eorum.* Prima diuiditur in duas. Primo ostendit quod peccata sunt pena peccatorum. Secundo inquirit per quem modum. Secunda ibi: *Et ideo merito queritur.* Hec secunda diuiditur in tres. Primo proponit
 10 unum modum quo modo peccatum posset dici pena peccati. Secundo excludit quandam dubitationem. Tertio ponit alium modum, quo modo peccatum posset dici pena declarando in omnibus peccatis generaliter et in quodam specialiter. Secunda ibi: *Et licet ex hoc sensu.* Tertia ibi: *In nullo autem preiudicium.* In hoc
 15 terminatur sententia et diuisio lectionis in generali.

[2] In speciali sic procedit MAGISTER. Et proponit primo peccata quedam sunt pena peccatorum; esse enim peccatum uel est peccatum et causa peccati, uel peccatum et pena peccati, uel peccatum et causa peccati et pena peccati. Postea querit quomodo hoc sit possibile; cum
 20 enim omnis pena peccati iusta sit et a Deo fit, peccatum in quantum peccatum pena est a Deo est. Si autem non est pena in quantum peccatum est, set ratione sui effectus, qui est corruptio quedam, non est peccatum in quantum peccatum est pena, set effectus peccati est pena. Postea dicit quod secundum hunc sensum omne peccatum
 25 dicit penam, set non omne peccatum est pena peccati, set illa solum peccata dicuntur pena aliorum peccatorum que causantur ab aliis. Sane tamen intelligendum est non ipsa peccata, set ipsorum effectus penas esse, ut dictum est. Postea dicit quod alio modo potest intelligi quod quedam peccata essentialiter pena sunt, non tamen in quantum
 30 peccata, set in quantum pena a Deo sunt. Et hoc confirmat per AVGVSTINVM, qui dicit rebellionem carnis ad spiritum penam esse et iuste infligi. MAGISTER autem dicit quod quedam peccata, scilicet principalia, dicuntur pena, quia penalem habent passionem annexam, sicut ira et inuidia, que tamen passio non debet dici peccatum. Postea
 35 dicit quomodo debet intelligi quod AVGVSTINVS dicit quedam peccata

fieri ex necessitate, cum HIERONYMVS dicat semper esse in potestate hominis peccare et non peccare. Et respondet quod AVGVSTINVS ibi de uenialibus loquitur et non de mortalibus. Supposito tamen adiutorio gratie uel aliter, quia HIERONYMVS loquitur secundum statum hominis ante peccatum, AVGVSTINVS autem post peccatum. 40 Ultimo uero recapitulat predeterminata in parte precedenti. Et dicit quod omnes actus in quantum sunt boni sunt a Deo. Alii autem actus boni sunt non solum quantum ad essentiam actus, set etiam ex genere, ut dare eleemosynam indigenti. Alii autem sunt boni quantum ad essentiam actus et quantum ad genus, et quantum ad 45 causam, quia fiunt ex bona uoluntate et propter finem, et isti sunt perfecte boni. Et in hoc terminatur etc.

QUESTIO PRIMA

VTRVM PECCATVM SIT CAUSA PECCATI

[1] Circa distinctionem istam queritur primo utrum peccatum sit causa peccati. Et uidetur quod non, quia facere sibi simile est actus perfecti, ut patet ex IV *M e t h e o r o r u m*; set peccatum non est 5 aliquid perfectum, set est defectus debite perfectionis; ergo non potest facere si- | -bi simile; set si peccatum causaret, peccatum faceret sibi simile; ergo etc.

π191vb

[2] Item motus non est motus, quia esset processus <in> infinitum, ut dicitur V *P h i s i c o r u m*; ergo per eandem rationem peccatum 10 non est causa peccati, quia esset processus in infinitum, quia qua ratione unum peccatum esset causa peccati alterius eadem ratione et illud aliud cuiusdam alterius et sic semper.

[3] In contrarium est quia ex actibus peccatorum causatur habitus malus; ex habitu malo causantur actus mali et uitiosi; ergo a primo ad 15 ultimum ex peccato causatur peccatum.

4 facere ... 5 *Meteororum*] Arist., *Meteor.*, IV, 3, 380a12-15; cf. etiam *De an.*, II, 4, 415a26-28

9 motus² ... 10 *Physicorum*] Arist., *Phys.*, V, 2, 225b34

9 in] *suppl.: om. π*

[4] Responso. In peccato omissionis est solus defectus, in peccato autem commissionis est actus et defectus. Considerando ergo peccatum ratione solius defectus, contingit unum peccatum esse
 20 causam alterius per accidens, scilicet per modum remouentis prohibens, quia quod inclinat in unum prohibet motum in contrarium; set gratia inclinat ad bonum siue gratia sit bonus habitus creatus siue beneplacitum speciale Dei; ergo prohibet motum uel lapsum in peccatum. Set defectus peccati est priuatio gratie, non
 25 quidem effectiue, set meritorie uel concomitatiue; ergo peccatum est causa motus uel lapsus in quodcunque aliud peccatum, sicut remouens prohibens; hoc autem solum est uerum de primo peccato quo priuatur gratia, quia per sequentia peccata gratia non tollitur.

[5] Si autem consideretur peccatum quoad actum, sic unum
 30 peccatum potest esse causa alterius per modum cause finalis, efficientis et materialis. De causa finali patet sic: illud quod habet rationem eminentioris boni respectu alterius potest habere rationem finis respectu eius; set unum peccatum potest habere rationem eminentioris boni respectu alterius; ergo etc. Minor probatur; aliquis
 35 enim credit bonum esse fornicari, quia tamen non potest hoc facere nisi det, dare autem non potest, cum sit pauper, nisi furetur; per consequens eligit furari. De causa uero efficiente patet similiter, quia illud quod est dispositio inclinans causam agentem ad similem actum est aliquo modo causa efficiens illius actus; set unus actus peccati est
 40 dispositio inclinans ad similem actum, alias nunquam ex actibus causaretur habitus; ergo etc. Dico autem ‘aliquo modo’, quia non est causa agens nec ratio agendi, set quedam dispositio pronitatis ad similem actum. De causa uero materiali patet idem, quia obiectum circa quod exercetur actus habet rationem materie respectu eius; set
 45 actus unius peccati est huiusmodi respectu alterius peccati; pugnatur enim de actibus ueneris; ergo etc. Hic autem materia uocatur

17 Responso] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 36, 1, 1, sol. (923-924); *S.th.*, I-II, 75, 4, resp.; *De malo*, 8, 1, resp. (193,221-194,279); cf. etiam Bonau., *Super Sent.*, II, 36, dub. 1 (856a-857b); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 36, 1, 1, resp. (307a); Aeg. Rom., *Ord.*, II, 36, 2, 1, resp. (537bA-538bA); Ioh. Paris., *Super Sent.*, II, 35, 4, resp. (218,10-32); Guill. Petr. de God., *Lect. Thom.*, II, 35, 3 (G49rb-49va)

45 pugnatur ... 46 ueneris] cf. Arist., *Hist. anim.*, VI, 18, 571b6 sqq.; VIII, 1, 589a2-5; IX, 1, 608b19-22; ap. Thom., *S.th.*, I, 81, 2, resp.; sed cf. etiam Alb., *De anim.*, VI, 3, 1 (482-487) et VIII, 1, 2 (574-580)

transsumptiue obiectum, quia non est materia in qua uel ex qua, que proprie habent rationem materie, set est materia circa quam. Secundum uero genus cause formalis unus actus peccati non potest esse causa alterius, quia forme non est forma proprie loquendo. 50

[6] Ad primum argumentum dicendum quod licet peccatum non sit aliquid perfectum in genere moris, est tamen aliquid perfectum secundum esse nature; et ideo quoad hoc potest esse causa alterius peccati per se, quoad defectum autem moralem solum est causa ut remouens prohibens. 55

[7] Ad secundum dicendum quod peccatum inquantum peccatum non est causa peccati, sicut nec motus est causa motus inquantum motus; nihil tamen prohibet aliquod peccatum esse causam alterius secundum aliquid speciale repertum, in eo scilicet, quia remouet prohibens, ut primum peccatum per quod amittitur gratia uel ratione 60 specialis habitudinis actus ad actum modis quibus dictum est.

QVESTIO SECVNDA

VTRVM PECCATVM SIT PENA PECCATI

[1] Secundo queritur utrum peccatum sit pena peccati. Et uidetur quod non, quia *pene sunt medicine*, ut dicitur I I E t h i c o r u m , et in X e i u s d e m dicitur quod pene sunt inducte ut per eas homines 5 reducuntur in bonum uirtutis; set per peccatum non reducitur homo in bonum uirtutis, set in oppositum; ergo etc.

[2] In contrarium est quod dicit AVGVSTINVS libro C o n f e s s i o n u m : *iussisti domine, et uere sic est, ut sibi pena sit*

48 materia ... quam] cf. Thom., *S.th.*, I-II, 75, 4, ad 1; Ioh. Paris., *Super Sent.*, II, 35, 4, ad 1 (218,29-32)

49 Secundum ... 50 alterius] cf. in contrarium Thom., *Super Sent.*, II, 36, 1, 1, sol. (923); *S.th.*, I-II, 75, 4, resp.; Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 36, 1, 1, resp. (307a); Aeg. Rom., *Ord.*, II, 36, 2, 1, resp. (538aA-C); Ioh. Paris., *Super Sent.*, II, 35, 4, resp. (218,26-28); Guill. Petr. de God., *Lect. Thom.*, II, 35, 3, resp. (G49va)

61 dictum est] cf. supra, §5

4 pene ... Ethicorum] Arist., *Eth. Nic.*, II, 3, 1104b17: transl. Grosseteste et ... 7 oppositum] cf. Thom., *S.th.*, I-II, 87, 2, arg. 1

5 pene ... 6 uirtutis] Arist., *Eth. Nic.*, X, 9, 1180a5-12

8 Augustinus ... 10 animus] Aug., *Confess.*, I, 12, 19 (11,14-15)

10 *omnis inordinatus animus*; set inordinatio animi est malum culpe;
ergo etc. |

π192ra

[3] Responsio. Dicenda sunt duo. Primum est quod peccatum non est pena peccati per se loquendo. Secundum est quod peccatum potest esse pena peccati concomitatiue. Primum patet, quia sicut se
15 habet habitus ad habitum, sic priuatio ad priuationem; set bonum oppositum malo culpe et bonum oppositum malo pene non sunt idem bonum; ergo malum culpe et malum pene non sunt idem malum; culpa igitur per se nunquam est pena. Maior patet. Minor probatur, quia bonum quod priuatur per penam pertinet ad primam
20 perfectionem seu integritatem rei, bonum autem quod priuatur per malum culpe est pertinens ad perfectionem secundam, que est operatio. Hec autem non possunt esse unum, ideo etc.

[4] Secundum sic patet: ubicunque in malis contingit in idem coincidere actionem cum passione uere aliquid a substantia
25 abiiciente, ibi concomitantur se culpa et pena; culpa enim, ut dictum est frequenter, est malum in actione, pena uero in passione abiiciente, quod pertinet ad primam rei integritatem; set in pluribus actibus malis actio et passio concomitantur se, sicut iram, inuidiam, tristitiam, que sunt quedam anime operationes, sequitur immutatio
30 corporis a debita et conuenienti dispositione in indebitam; similiter actus corporales simul habent in se aliquid actionis et aliquid passionis, inquantum homo mouet seipsum ratione alterius et alterius partis et inquantum passiones sunt, lassationem et penam habent, inquantum uero actiones sunt, si sint male, habent rationem culpe; et
35 ideo dicturi sunt mali illud Sap. 5: *Lassati sumus in uia iniquitatis* etc. Propter quod, sicut concomitatur se actio mala et passio, sic pena et culpa; ideo et cetera. Isto etiam modo contingit idem esse meritum et penam, scilicet concomitatiue, non autem per se et essentialiter; contingit enim bene et meritorie irasci et tristari, ad que sequitur
40 uera passio et pena in corpore. Actus etiam corporales boni penales sunt, sicut et mali; ideo identitas pene cum culpa uel cum merito est concomitatiua et non essentialis.

[5] Ad argumentum in oppositum dicendum quod hoc ipsum quod homo laborem et detrimentum patitur in peccando natum est
45 retrahere hominem a peccato; et ideo pena adiuncta culpe rationem habet medicine, adiuncta autem merito auget ipsum.

QVESTIO TERTIA

VTRVM OMNIS PENA INSIT PROPTER ALIQVAM CVLPAM

[1] Tertio queritur utrum omnis pena insit propter aliquam culpam. Et uidetur quod non, quia *eiusdem rationis uidetur esse quod peccatores prosperentur et quod innocentes puniantur*; set primum frequenter 5 reperitur *Ier. 12: uia impiorum prosperatur, bene est omnibus qui preuaricatur et inique agunt*; ergo uidetur quod reliquum possit inueniri, scilicet quod innocens puniatur; ergo *pena* quandoque *infligitur sine culpa*.

[2] Item *de Christo dicitur I Petri 2 quod peccatum non fecit*, 10 *neque dolus inuentus est in ore eius, et tamen ibidem dicitur quod passus est pro nobis*; ergo *pena non semper dispensatur a Deo pro culpa*.

[3] In contrarium est quod dicit HIERONYMVVS quod quicquid patimur peccata nostra meruerunt.

[4] Responso. Dicenda sunt duo. Primum est quod omnis 15 passibilitas pene est in nobis a culpa. Secundum est quod non omnis pena quam patimur intelligitur nobis neque a Deo neque ab homine pro aliqua culpa. Primum patet ex his que dicta sunt supra, distinctione 30 questione 1, quod mors et aliqui defectus penales sunt in nobis a peccato, saltem sicut a causa remouente prohibens. 20 Secundum patet, quia, si pena semper inflingeretur pro aliqua culpa, uel hoc esset pro aliquo actuali uel pro originali. Non pro actuali, quia in multis inueniuntur graues pene in quibus nulla est culpa actualis, sicut in pueris nuper baptizatis, in quibus sunt egritudines, ut exactiones demonum, et similia. Item nec pro originali, quia culpe 25 originali non debetur pena sensus, set damni, licet ipsa passibilitas pene sensus | insint propter peccatum originale modo quo dictum est supra; set multe pene sensus insunt hominibus, ut de se patet; ergo non omnis pena infligitur pro culpa, quod concedendum est. Set infligitur quandoque ab homine simpliciter iniuste absque aliqua 30

π192rb

4 eiusdem ... 9 culpa] Thom., *S.th.*, I-II, 87, 7, arg. 2

6 Ier ... 7 agunt] *Ier.*, 12,1

10 Item ... 12 culpa] Thom., *S.th.*, I-II, 87, 7, arg. 3

I ... 11 eius] *I Petr.*, 2,22

11 ibidem ... 12 nobis] *I Petr.*, 2,21

13 Hieronymus ... 14 meruerunt] Hier., *In Hiezech.*, II, 5, 16b (62,278-280)

18 his ... 19 1] cf. supra, II, 30, 1, §4

culpa patientis, et a Deo, non quidem iniuste, cum sit dominus uite et mortis, set preter iustitiam, quod contingit multis modis, sicut tractat beatus AVGVSTINVS *S u p e r c a n t i c u m D e u t e r o n o m i i* dicens quod quinque modis flagella contingunt
 35 uel ut iustis merita per flagella augeantur, ut Iob, uel ad custodiam uirtutum ne superbia temptet, ut Paulo, uel ad corrigenda peccata, ut Marie lepra, uel ad initium pene, ut hic uideatur quid in infernum sequatur, ut Herodi, uel ad gloriam Dei manifestandam, ut ceco nato. In aliquibus autem istorum modorum pena non infligitur pro aliqua
 40 culpa, maxime in primo et ultimo, ut de se patet; ideo etc.

[5] Ad primum argumentum dicendum quod cum malum nullum sit integrum, ut dicitur *I V E t h i c o r u m*, nullus est adeo malus quin aliquid boni habeat, quod a Deo hic remuneratur in minimis bonis, scilicet in temporalibus; set bonum potest esse integrum
 45 absque omni malo, et in tali nihil est puniendum; quod si aliquid patiat, hoc est uel ex conditione nature sibi derelicta, sicut in egritudinibus et aliis passionibus, uel quia ab alio infligitur iniuste, sicut fit in illatis iniuriis, uel quia a Deo immittitur dispensatiue, modis quibus dictum est.

[6] Ad secundum dicendum quod pena quam Christus passus fuit ordinem habuit ad culpam, non quidem Christi, set primi parentis, cuius debitum existens in nobis Christus per penam quam pertulit exsoluit. Dictum autem *HIERONYMI* adductum in contrarium est intelligendum ut in pluribus; raro enim contingit aliquem adeo esse
 55 innocentem quin plus peccet quam patiat; uel intelligendum est non de actuali passione, set de passibilitate quam omnes, excepto Christo, contraximus ex peccato primo, sicut dictum est.

31 dominus ... 32 mortis] cf. *Sap.*, 16,13

33 Augustinus ... 38 nato] rectius ps.-Beda, *In Matth.*, 9,4 (46A-B); ex Thom., *Super Sent.*, II, 36, 1, 4, arg. 1 (931); sed iam Lomb., *Sent.*, IV, 15, 2 (326,2-7); ex *Glossa Ord. Matth.* 9,4 (34b)

41 malum ... 42 Ethicorum] Arist., *Eth. Nic.*, IV, 5, 1126a11-12; cf. Thom., *S.th.*, I, 49, 3, resp.

SENTENTIA HVIVS DISTINCTIONIS XXXVII IN GENERALI ET SPECIALI

[1] *Sunt autem alii plurimi.* Superius MAGISTER posuit opinionem quorundam circa quidditatem peccati. Hic uero ponit opinionem contrariam. Et diuiditur in duas partes. Primo determinat intentum. Secundo subiungit illud in quo ambe conueniunt opiniones. Secunda 5 ibi: *Cum igitur omnes in hoc consentiant.* Prima diuiditur in partes tres. Primo ponit opinionem. Secundo ad opinionem illam respondet et ad rationes alterius partis. Tertio opponit dupliciter pro opinione. Secunda ibi: *Illa quoque eius uerba.* Tertia ibi: *Ex quo tollitur res aliquas esse.* Et in hoc terminatur sententia et diuisio lectionis in 10 generali.

[2] In speciali sic procedit MAGISTER et proponit primo quod quidam sunt opinati uoluntatem malam et actum malum nec a Deo esse nec bona esse; sunt enim peccata, peccatum autem nihil est. Postea dicit quod illud quod AVGVSTINVS innuit, scilicet quod omne 15 quod est in quantum est bonum est, intelligendum est secundum eos de his que naturale et substantiale esse habent, peccatum autem non habet tale esse. Postea opponit pro dicta opinione per duas rationes, quarum prima talis est: illud per quod homo sit deterior non est a Deo; set peccata sunt res quibus homo fit deterior; ergo peccata non 20 sunt a Deo. Secunda ratio talis est: nihili Deus non est auctor; set peccatum nihil est; ergo non habet Deum auctorem. Concludit postea quod illud quod dicitur, quod omnium que sunt Deus est auctor, non solum intelligendum est de ipsis naturis, ut uidetur, sicut supra dicebatur, set de omni eo quod naturam non uiciat, et ideo 25 peccatum sub ipsa generalitate non intelligitur. Ultimo dicit quod, quando dicitur Deum non esse auctorem malorum, intelligendum est de malis culpe; in hoc enim consentiunt omnes, non de malis pene, quia tamen alibi legitur, quod Deus mortem non fecit, intelligendum est quod non fecit peccatum, quod est causa mortis, ipsa tamen mors, 30 que est pena, est a Deo. Et in hoc terminatur sententia lectionis etc. |

π192va

2 Sunt ... alij] Lomb., *Sent.*, II, 37, I (543,8-9)

15 omne ... 16 est³] Aug., *De diu. quaest.* 83, 21 (26) et 24 (29-30)

QVESTIO PRIMA

VTRVM ACTIO PECCATI SECVNDVM QVOD ACTIO SIT A DEO

- [1] Circa distinctionem istam queritur primo utrum actio peccati secundum quod actio sit a Deo. Et uidetur quod non, quia
 5 FVLGENTIVS dicit quod *Deus illius rei ultor est cuius non est auctor*; set Deus est ultor peccati quantum ad ipsam actionem; ergo etc. Probatio minoris, quia sicut peccato respondet pena damni ratione auersionis, in qua consistit defectus, ita respondet ei pena sensus ratione conuersionis, in qua consistit actus.
- 10 [2] Item defectus non assignatur causa nisi ratione actus; ubi ergo actus et defectus sunt inseparabiles, quicquid est causa actus est causa defectus; set in actione peccati, puta in uerbo blasphemie, actus et defectus sunt inseparabiles; ergo cum Deus non sit causa defectus, alioquin Deo imputaretur peccatum, uidetur quod non sit causa
 15 actus.
- [3] In contrarium est quia illud quod non est causa actus non est causa effectus producti per actum; set per actionem peccati aliqui effectus in esse producuntur; generantur enim homines ex adulteriis; si ergo talium actionum Deus non esset causa, per consequens nec
 20 hominum, qui his actionibus generantur; quod est inconueniens.
- [4] Responsio. Dicenda sunt tria. Primum est quod Deus est causa actionis peccati uniuersalis et prima. Secundum est quod non est causa eius proxima et immediata. Tertium est quod ex hoc non potest Deo imputari culpa. Primum patet, quia a quo est essentia est uirtus
 25 et operatio saltem mediate; set omnis essentia est a Deo; igitur etc. Secundum patet ex his que dicta sunt supra, distinctione I questione 5 huius libri. Tertium patet sic: actio non debet imputari agenti nisi secundum quod ab ipso procedit; set actiones liberi arbitrii non procedunt a Deo nisi secundum indifferentiam ad bonum et malum;
 30 ergo etc. Minor probatur, quia Deus non est causa actionum liberi arbitrii, nisi quia liberum arbitrium ab ipso et est et conseruatur; set liberum arbitrium in esse conseruatum adhuc est indifferens ad eligendum actum bonum uel malum, nec determinatio eius ad malum est a Deo; ergo actiones liberi arbitrii non possunt Deo

5 Fulgentius ... auctor] Fulg., *Ad Monimum*, I, 19, 4 (19,673-20,674); cf. etiam Lomb., *Collect. in Paul. Epist., Ad Rom.*, 3,5 (1354A)

26 supra ... 27 libri] cf. supra, II, 1, 5 (130ra-131rb)

imputari secundum communem cursum nisi secundum 35
 indifferentiam ad bonum et malum. Dico autem ‘secundum
 communem cursum’, quia forsitan Deus ex beneplacito suo liberum
 arbitrium inclinatur ad bonum, nunquam tamen ad malum, ut sic
 bona actio Deo imputari possit, nunquam tamen mala; et si ratione
 illius uel huius indifferentie intelligant ALIQUI quod Deus est causa 40
 malorum uel malarum actionum in quantum actiones sunt et non
 in quantum male, uerum est, quia omnes huiusmodi actiones reduci
 possunt in Deum secundum indifferentiam et non secundum
 determinationem ad malum; quia uero principia actionum
 naturalium sunt determinata ad unum, ideo actiones naturales eorum 45
 Deo attribuuntur et quantum ad essentiam actus et quantum ad
 determinationem eius.

[5] Si uero sumatur aliqua singularis actio puta hoc adulterium que
 secundum se separari non potest a deformitate culpe, impossibile est
 quod Deus sit immediata causa talis actionis, non solum propter 50
 rationes predictas, set quia necessario esset causa deformitatis, ita
 quod ipsi attribueretur defectus sicut actus.

[6] Quod patet. Ad defectum enim culpabilem tria concurrunt,
 scilicet quod defectus culpabilis non causetur nisi ab agente, quia
 culpa est malum quod facimus, defectus uero non culpabiles aliunde 55
 causari possunt, scilicet ex dispositione materie, sicut tibia claudi non
 potest recte incedere, licet non sit defectus ex parte uirtutis
 progressiue, set ex indispositione materie. Ad hoc etiam quod
 defectus sit culpabilis oportet quod sit in potestate agentis, quia que
 non sunt in potestate nostra, non sunt nobis culpabilia. Item 60
 requiritur quod defectus non sit ignoratus ignorantia que excuset
 peccatum. Ex quibus sic arguitur: omnis defectus culpabilis
 imputatur agenti producenti et habenti super actum dominium et
 non ignorantem defectum; si ergo Deus immediate causet actum
 huiusmodi adulterii, cum non agat ex necessitate nature, set libere, 65
 habens plenum dominium actus, neque ignoret defectum adiunctum,
 non uideo quin ipsi debeat ad culpam | imputari sicut et homini uel

π192vb

40 aliqui] ap. Lomb., *Sent.*, II, 37, 1-2 (543-546); cf. Alb., *Super Sent.*, II, 35, 7, sol. (575a); Thom., *Super Sent.*, II, 37, 2, 2, sol. (951-953); Bonau., *Super Sent.*, II, 37, 1, 1, resp. (862b); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 37, 2, 1, resp. (313b-314a); Aeg. Rom., *Ord.*, II, 37, 1, 3, resp. (551aA-C); *Report.*, II, 80 (373-375); Rich. de Mediau., *Super Sent.*, II, 37, 2, 1, resp. (453a-b); *Quodl.*, III, 2, resp. (87b-88b); Duns Scot., *Report.*, II, 37, 1, resp. (192a-194a); Guill. Petr. de God., *Lect. Thom.*, II, 37, q. unic. (G49va-50ra)

DISTINCTIO XXXVII QVESTIO I – II

magis quam homini, cuius ignorantia potest eum quandoque
totaliter excusare uel culpam alleuiare. Item quando duo sunt
70 coniuncta inseparabiliter, quicumque sciens utrunque eligit unum,
eligit et alterum, quia et si illud non eligeret absolute, quia malum, ex
quo tamen coniunctum est ei quod uult, nec separari potest ab eo
necesse est quod utrunque uelit, sicut patet in uoluntariis mixtis cum
aliquis proiicit merces in mare ut saluetur, quas tamen secundum se
75 non uellet proiicere. Cum igitur Deus non ignoret defectum
coniunctum actui, si uult unum, uult et alterum, non operatur autem
nisi sciens et uolens etc.

[7] Ad primum argumentum dicendum quod Deus non est
immediate auctor huius uel illius peccati, set mediante liberi arbitrii,
80 cui imputatur bona uel mala actio ratione sue libertatis qua se
determinat ad hoc uel ad illud, et sic imputatur ei ad culpam uel
meritum, et sic premiatur uel punitur.

[8] Ad secundum patet solutio per iam dicta; concessum est enim
quod concludit.

85 [9] Ad argumentum in oppositum dicendum quod per actionem
peccati nullus effectus in esse producitur; actio enim peccati uel est
interior actus uoluntatis, per quem nihil constituitur, uel actus
exterior imperatus, qui est motus localis solum, per quem nihil
acquiritur; et ideo per actionem peccati nullus effectus producitur.
90 Set uerum est quod per actionem peccati actiua et passiuua naturalia
appropinquantur, sicut per actum adulterii commiscetur semen uiri
cum semine mulieris, quibus appropinquatis sequitur actio naturalis
eorum et effectus, quorum utrunque Deo attribuitur, non autem
precedens actio peccati propter rationem iam dictam.

QVESTIO SECVNDA
VTRVM DEVS SIT ACTOR MALI PENE

[1] Deinde queritur utrum Deus sit actor mali pene. Et uidetur quod
non, quia omne malum est preter intentionem agentis; nullus enim

94 rationem ... dictam] cf. supra, §5

3 utrum ... pene] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 37, 3, 1 (954-957); *S.th.*, I, 49, 2

aspiciens ad malum operatur; set in actione diuina nihil potest 5
contingere preter eius intentionem, quia quod non est intentum non
uidetur esse preuisum, omnia autem sunt a Deo preuisa; ergo etc.

[2] Set contra. Ad eundem pertinet remuneratio bonorum et
punitio malorum; set Dei est remunerare bonos, ergo et punire
malos; hoc autem fit per inflictionem pene; ergo etc. 10

[3] Responsio. Dicendum quod Deus est actor mali pene, non
tamen potest esse cuiuslibet pene actor immediate. Primum patet,
quia a Deo nihil est negandum nisi quod sonat in aliquam
imperfectionem; set esse actorem mali pene non sonat in aliquam
imperfectionem; ergo etc. Minor probatur, quia malum pene, siue sit 15
pena damni siue pena sensus, consistit in passione; passio autem non
est in agente, set in passo, propter quod malum pene defectum ponit
in patiente et non in agente; defectus enim uel est nature uel moris;
causare autem penam in alio non arguit imperfectionem nature
agentis, set magis perfectionem nature et predominium uirtutis. Item 20
nec arguit defectum morum, qui contingit penam iuste infligi, et
tunc infligitur absque culpa; ideo etc.

[4] Secundum patet, quia Deus non est immediatus actor illius
pene que infligitur actione culpe; set quedam pene sunt huiusmodi,
sicut omnes que ab hominibus iniuste inferuntur; ergo etc. 25

[5] Ad argumentum in oppositum dicendum quod malum
inquantum malum nunquam est intentum, neque a natura neque a
Deo; set nihil prohibet illud quod est malum nature esse bonum in
genere moris; sic est de pena iusta, et hoc modo potest esse intenta.
Similiter malum nature respectu unius, puta corruptio respectu 30
bouis, mala est, que tamen respectu hominis, qui ex morte eius
consequenter iuuatur, bona est et intenta, et similiter est in omnibus;
ideo etc. Argumentum etiam assumit falsum, scilicet quod omne
preuisum sit intentum, quod non est uerum, quia preuisio, cum
pertineat ad intellectum, est omnium tam bonorum quam malorum, 35

π193ra intentio autem, cum sit actus uoluntatis, est solum bonorum. |

QVESTIO TERTIA

VTRVM CVLPA MAGIS HABEAT DE RATIONE MALI QVAM PENA

[1] Postmodum queritur quid plus habeat de ratione mali culpa an pena. Et uidetur quod pena, quia sicut in bonis illud est melius
5 propter quod alterum elicitur, ita in malis illud est peius propter quod alterum euitatur; set culpa euitatur propter penam; ergo etc.

[2] Item sicut se habet meritum ad premium, ita culpa ad penam; set premium melius est merito; ergo pena est deterior culpa.

[3] In contrarium est quia omne quod communiter dicitur de
10 causa a causato uerius et principalius dicitur de causa quam de causato; set malum dicitur de culpa et pena tanquam de causa et causato; culpa enim est causa pene; ergo etc.

[4] Responso. Quid sit maius malum culpa an pena, improprie queritur, quia que comparantur proprie secundum maius et minus
15 debent esse unius rationis in eo in quo comparantur, ut patet ex VII Phisicorum; malum autem non conuenit uniuoce culpe et pene, quia pena est malum nature, culpa uero malum moris; ideo etc. Item culpa consistit in actione, pena autem in passione; hec autem non sunt unius rationis, ideo etc.

[5] Quia tamen large comparantur quandoque que in una ratione non conueniunt, sicut dicimus quod substantia uerius est ens quam
20 accidens, ideo, tolerando dictam comparisonem, dicendum quod culpa uerius habet rationem mali quam pena. Quod patet ex propriis rationibus boni et mali; ratio enim boni, ut supra dictum est
25 distinctione 33 questionibus 1 et 2, est ratio conuenientis, ratio autem mali est conuenientie priuatio; tunc sic: illud est maius malum homini quod tollit illud quod maxime conuenit ei; set hoc est magis culpa quam pena; ergo etc. Probatio minoris, quia illud conuenit maxime homini quod conuenit ei secundum quod est homo, set
30 bonum rationis quod tollitur per culpam est huiusmodi; conuenit enim homini secundum quod est homo, quia homo est homo per rationem; quare etc. Item malum culpe est in potestate hominis,

14 que ... 16 Phisicorum] Arist., *Phys.*, VII, 4, 248b6-7

23 culpa ... pena] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 37, 3, 2, sol. (958-959); *S.th.*, I, 48, 6, resp.; *De malo*, I, 5, resp. (23,147-25,275); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 37, 1, 2, resp. (313a); Aeg. Rom., *Ord.*, II, 37, 2, 3, resp. (559bA-560aD); *Report.*, II, 81 (375-376); Rich. de Mediau., *Super Sent.*, II, 37, 1, 2, resp. (451b-452a)

24 ut ... 25 2] cf. supra, II, 34, 1-2

malum autem pene non; que autem sunt in potestate hominis imputantur ei; et ideo malum culpe imputatur homini, ut ex ipso dicatur malus, non autem ex malo pene; et ita loquitur DIONYSIVS 4 35 capitulo De diuinis nominibus quod *puniri non est malum, set fieri dignum pena*, et AVGVSTINVS I De libero arbitrio quod culpa est malum quod facimus et quo mali sumus, pena uero est malum quod patimur, non quo mali sumus. Et ideo alibi dicitur quod melius est omnia pati mala quam malo consentire. 40

[6] Ad primum argumentum *dicendum quod culpa non est uitanda* principaliter propter penam, *set propter se, etiam si nulla pena sequeretur. Vnde et uirtuosus plus culpam fugit quam penam, ad quam tamen oportet mensurare actus aliorum hominum, ut dicitur III Ethicorum.* 45

[7] Ad secundum dicendum quod, *licet culpa terminetur ad penam, sicut meritum ad premium, tamen non intenditur propter penam sicut intenditur meritum propter premium, set potius inducitur ut culpa uitetur; et sic culpa maior est siue peior quam pena.*

SENTENTIA HVIVS DISTINCTIONIS XXXVIII IN GENERALI ET SPECIALI

[I] *Post predicta de uoluntate.* Superius MAGISTER determinauit de peccato per comparationem ad actus quibus peccamus, ponendo diffinitionem peccati. Hic determinat de peccato per comparationem ad potentiam uoluntatis et ad alias potentias. Secundo inquit de 5 peccato uoluntatis per comparationem ad alias potentias. Tertio inquit de peccato prout respicit actus exteriores. Secunda in principio distinctionis 39 ibi: *Hic erit questio.* Tertia in principio 40 distinctionis ibi: *Post hec de actibus est considerandum.* Prima est principalis lectio et diuiditur in tres. Primo inquit utrum uoluntas 10

35 Dionysius ... 37 pena] ps.-Dionys., *De diu. nom.*, 4 (271b): transl. Sarraceni

37 Augustinus ... 39 sumus] Aug., *De lib. arb.*, I, 1, n.1 (211,4-6 et 11-12)

40 alibi ... consentire] Aug., *De ciu. Dei*, I, 18 (18,4)

41 dicendum ... 45 Ethicorum] Thom., *Super Sent.*, II, 37, 3, 2, ad 4 (960)

43 ad ... 45 Ethicorum] Arist., *Eth. Nic.*, III, 4, 1113a32-33

46 licet ... 49 pena] Thom., *S.th.*, I, 48, 6, ad 1

2 Post ... uoluntate] Lomb., *Sent.*, II, 38, 1 (547,16-17)

- habeat rectitudinem tantum a fine. Secundo inquit utrum iste finis sit unus an plures. Tertio ostendit quomodo se ha- | -beant intentio et uoluntas adinuicem. Secunda ibi: *Set queritur utrum bone uoluntates*. Tertia ibi: *Solet etiam queri*. Prima in duas. Primo ostendit
 15 quod uoluntatis finis est charitas. Secundo ostendit quod iste finis finem, qui est Deus, non excludit. Secunda ibi: *Ergo charitatem sibi ponit finem*. Secunda pars principalis, in qua determinat de unitate et pluralitate finis, diuiditur in duas. Primo determinat questionem intentam. Secundo obiicit contra determinata et soluit. Secunda ibi:
 20 *Veruntamen huic sententie*. Illa pars principalis, in qua inquit quomodo se habeant intentio et uoluntas, diuiditur in duas partes secundum duas questiones quas mouet et soluit. Secunda ibi: *Set queritur utrum etiam intentio*. Hec est sententia et diuisio lectionis in generali.
- 25 [2] In speciali uero sic procedit MAGISTER. Et proponit primo quod uoluntas rectitudinem et peruersitatem habet a bono uel malo, finis autem bonus est charitas, quoniam propter charitatem fieri debet quicquid fit. Postea dicit quod iste finis ad ulteriorem finem ordinarur, scilicet ad Deum, male autem uoluntatis finis est mala
 30 dilectio uel delectatio. Postea dicit quod poterunt esse plures fines intermedii, tam bonarum quam malarum uoluntatum, qui sunt quasi quoddam medium in ueniendo ad ulteriorem finem. Postea ponit quandam auctoritatem per quam uidetur probare quod duos fines non debemus nobis constituere, et soluit dicens quod hoc
 35 intelligendum est quando illi fines sic se habent quod unus ad alium non refertur. Postea querit utrum uoluntas et intentio sint idem. Et respondet quod uoluntas proprie dicit ipsam potentiam, intentio uero dicit illud propter quod mouetur ad uolendum. Vltimo querit utrum idem sit actus quo uoluntas uult finem et ea que sunt ad
 40 finem. Et respondet quod quibusdam non uidetur esse idem, quibusdam uero uidetur quod sunt idem actus uoluntatis, diuersificantur tamen secundum uolita, MAGISTER tamen hoc indeclaratum relinquit. Et in hoc terminatur sententia lectionis etc.

QVESTIO PRIMA

VTRVM BONITAS ACTVS VOLVNTATIS SIT EX FINE

[1] Circa distinctionem istam primo queritur utrum bonitas actus uoluntatis sit ex fine. Et uidetur quod sic, quia motus recipit speciem a termino; set terminus actus uoluntatis est finis; ergo etc. 5

[2] Item BOETIVS in T o p i c i s suis dicit quod *cuius finis bonus est, ipsum quoque bonum est*; ergo bonitas finis causat bonitatem operis.

[3] In contrarium arguitur quia euangelizare bonum est, manducare bonum est, tamen euangelizare propter manducare non bonum est; ergo bonitas operis non est ex bonitate finis. 10

[4] Responsio. Cum questio sit de bonitate morali actus uoluntatis uidenda sunt duo. Primum est quis actus dicatur moralis et quare. Secundum est in quo consistat bonitas actus moralis ipsius uoluntatis. Et ex his apparebit illud quod queritur.

[5] Quantum ad primum sciendum est quod actus moralis dicitur 15 actus qui est in potestate uoluntatis, siue sit ab ea elicitus siue imperatus. Et dicitur moralis a more seu consuetudine, quia per mortem seu consuetudinem possumus nos habere diuersimode circa tales actus, inquantum assuescimus sic uel aliter operari, et omnes tales actus sunt liberi. Circa actus enim pure naturales consuetudo uel 20 mos non habet locum. Si quis enim proiciat lapidem sursum centies millesies, nunquam assuescet ascendere, quia motus eius sursum uel deorsum non est liber, set unus est uiolentus et alter naturalis. Et propter hoc quod actus morales liberi sunt et in potestate nostra, idcirco secundum eos laudamur uel uituperamur inquantum sunt 25 boni uel mali.

[6] Et est aduertendum quod predicti actus morales sunt quedam res in esse nature, set dicuntur morales propter rationem iam dictam; et quanuis esse morale nihil reale addat super naturalem talium actuum entitatem, tamen aliud iudicium est de eis secundum esse sue 30 nature et secundum mores seu secundum genus moris; actus enim temperatus et intemperatus sunt eiusdem speciei in | esse nature, set in esse morali dicuntur contrarii. Quod in esse nature sint eiusdem

π193va

4 motus ... 5 termino] cf. *Auct. Ar.*, 2, 147 (152,46); *Arist., Phys.*, V, 1, 224b7-8

6 Boetius ... 7 est] *Boeth., De differ. Top.*, 2 (1189D)

8 euangelizare ... 10 est] cf. *Aug., De Serm. Dom. in monte*, II, 16, 54 (144,1149-1153); *ap. Lomb., Sent.*, II, 38, 3, n.2 (549,22-25)

DISTINCTIO XXXVIII QVESTIO I

speciei patet, quia illi actus sunt eiusdem speciei in esse nature
 35 quorum sunt eadem principia secundum speciem; set actuum
 precedentium huiusmodi habitus sunt eadem principia secundum
 speciem in esse nature, et ex parte appetitus et appetentis, et ex parte
 obiecti. Si enim duo concupiscunt facere cum eadem muliere, que est
 uxor unius et non alterius, quicquid pertinet ad esse nature, totum
 40 est unius speciei ex utraque, et tamen unus actus est intemperatus et
 alius temperatus; quare etc. Patet secundo, quia de actibus appetitus
 sensitiui in nobis et in brutis, quantum ad esse nature, est idem
 iudicium; quod enim appetitus sensitiuus in nobis obediatur rationi,
 non autem in brutis potest quidem facere differentiam in moribus,
 45 set non in esse nature; set in brutis appetitus sensitiui sunt eiusdem
 speciei quantum ad esse nature respectu omnium obiectorum que
 non differunt specie in esse nature; ergo et in nobis. In esse tamen
 morali non dicuntur esse unius speciei, immo sunt oppositi, et unus
 est bonus et alius est malus.

50 [7] Quantum ad secundum, scilicet quid si<t> bonitas moralis et
 in quo consistit, sciendum est quod, cum ratio boni sit ratio
 conuenientis, sicut bonum nature consistit in esse conueniens nature,
 sic bonitas moralis actus uoluntatis consistit in conuenientia eius ad
 rationem rectam. Quod patet dupliciter. Primo ex ratione boni sic:
 55 bonitas moralis actus uoluntatis est conuenientia eius ad hominem
 secundum esse morale; set homo habet primo esse morale per
 rationem practicam, per quam habet primo liberum iudicium de
 eligibilibus; hec autem non est conueniens nisi sit recta; ergo bonitas
 moralis actus uoluntatis et cuiuscunque alterius est conuenientia eius
 60 ad rectam rationem. Secundo patet idem ex comparatione actus
 rationis ad actum uoluntatis sic: sicut se habet ueritas rationis ad
 entitatem rerum, sic bonitas uoluntatis ad ueritatem rationis; causa
 huius est quia sicut obiectum intellectus sunt res exteriores, sic
 bonum a ratione propositum est obiectum uoluntatis; set ueritas
 65 rationis est conformitas eius ad entitatem rerum; unde diffinitur
 ueritas quod est adequatio intellectus ad rem; ergo similiter bonitas
 actus uoluntatis est conformitas eius ad rectitudinem rationis. Huic

66 adequatio ... rem] cf. Thom., *De uerit.*, I, I, resp. (6,186-187)

50 sit] *coni.*: si π 65 unde ... ueritas] I distinctione 19 questione *i.m. add.* π

etiam concordat dictum commune, scilicet quod bonitas cuiuslibet rei consistit in conformitate ad suam regulam; ratio autem est regula uoluntatis; semper enim non cognoscentia nata sunt regularia 70 cognoscentibus; ideo etc. Hec autem conuenientia uel conformitas actus uoluntatis cum ipsa ratione non attenditur secundum esse nature ut talis sit actus uoluntatis quoad esse nature qualis est actus rationis, set secundum tendentiam in obiectum, ut in illud tendat actus uoluntatis eligendo quod recta ratio prius dictauit eligendum. 75

[8] Ex his patet tertium, uidelicet a quo actus uoluntatis habet bonitatem moralem, quia tota bonitas moralis actus uoluntatis est ex suo obiecto accepto secundum totalem ambitum obiecti; quod patet, secundum hoc enim attenditur conformitas inter uoluntatem et rationem quia uoluntas uult quod ratio dicat; set omne quod est a 80 ratione dictatum uel a uoluntate uoluitum est obiectum uel cadit sub ratione obiecti rationis et uoluntatis; ergo etc. Minor patet, quia sicut omne quod est uisum cadit sub ratione obiecti uisus et omne quod est auditum cadit sub ratione obiecti auditus, sic omne cognitum dictatum uel ratione est obiectum rationis uel cadit sub ratione 85 obiecti, et omne uoluitum sub obiecto uoluntatis; omne enim in quod fertur quecunque potentia est obiectum eius; unde, licet plurium uolitorum unum possit esse circumstantia uel finis alterius, omnia tamen respectu uoluntatis habent rationem obiecti; patet ergo quod bonitas et conformitas uoluntatis ad rationem est totaliter ex obiecto 90 sicut ex fundamento, nec oportet aliam causam querere nisi forte uelles inquirere a quo mouetur uoluntas in obiectum sibi a ratione propositum, de quo alibi dictum est; nec istud discrepat a communi dicto quod bonitas actus uoluntatis est ex obiecto et ex fine et ex circumstantiis, nec alterum istorum sufficit, set oportet omnia 95 concurrere, quia bonum est ex tota causa secundum DIONYSIVM, quia hec omnia comparata ad uoluntatem cadunt sub ratione obiecti, ut
 π193vb probatum est; set comparata | inter se unum est finis uel circumstantia alterius, uerbi gratia in uolente dare eleemosynam indigenti propter Deum dare eleemosynam est principale obiectum; set quod hoc fiat 100

68 bonitas ... 69 regulam] cf. Thom., *Super Sent.*, III, 23, 1, 1, sol. (697)

93 alibi] cf. supra, II, 25, 1

93 de ... est] distinctione 24 questione 2 et 3 huius et distinctione 1 questione 3 primi *i.m.*
add. π

propter Deum habet rationem finis et indigentia eius cui datur rationem circumstantie, ex quibus omnibus actus uoluntaris sortitur bonitatem moralem, et tamen hec omnia cadunt sub ratione obiecti uoluntatis sumpti secundum suum totum ambitum.

105 [9] Set premissis obuiare uidetur, quia contingit actum uoluntatis esse bonum, qui tamen non conformatur rationi recte, set erronee, ut cum aliquis uult reddere debitum mulieri petenti, que non est sua, quam tamen credit esse suam, sicut fuit de Iacob et Lya. Et dicendum ad hoc quod etiam in tali casu actus uoluntatis conformatur rationi
110 recte seu uere, quia actus rationis cui debet conformari actus uoluntatis est conclusio syllogismi practici, que est uera, dato quod aliqua premissarum sit falsa; et si arguatur sic: debitum est reddendum uxori, set est uxor, ergo est ei reddendum debitum, in hoc syllogismo, licet minor sit falsa, quia ista non est uxor, conclusio
115 tamen est uera, quia ei, que non est uxor, creditur tamen esse uxor adhibita debita diligentia que in talibus adhiberi consueuit, licitum est reddere debitum, quia talis ignorantia excusat et huic conclusioni uere conformatur actus uoluntatis sequentis.

[10] Ad primum argumentum dicendum quod terminis actus
120 uoluntatis est suum obiectum; in ipsum enim tendit uoluntas, nec in finem tendit nisi ut cadit sub ratione obiecti, ut dictum est.

[11] Ad secundum dicendum quod plurium uolitorum unum potest esse finis alterius, et si illud quod est finis sit bonum, et illud quod ordinatur ad ipsum erit bonum, dum modo sit ordo rerum per
125 se, sicut ordinatur domus ad habitationem. Si autem talis ordo sit ex sola intentione ordinantis et non ex natura rerum, non etiam oportet; potest enim quis ordinare furtum ad subueniendum pauperi, nec tamen propter hoc furtum est bonum, respectu tamen uoluntatis nullum uoliturum in quantum huiusmodi habet rationem finis, set
130 solum obiecta; set finis uoluntatis est finis actus, sicut in ceteris rebus, qui, si sit bonus, uoluntas dicitur bona, si malus, mala.

[12] Ad argumentum alterius partis dicendum quod uoluntas que uult euangelizare propter manducare mala est, quia sequitur rationem errantem; finis enim non solum debet esse bonus, set debet esse
135 melior his que sunt ad finem; et ideo, licet manducare sit bonum, tamen non est bonus finis euangelizandi; propter hoc ratio que hoc dictat erronea est, et uoluntas que hoc uult est mala.

QVESTIO SECVNDA

VTRVM INTENTIO SIT ACTVS VOLVNTATIS

[1] Secundo queritur utrum intentio sit actus uoluntatis. Et uidetur quod non, quia omnis actus uoluntatis uel est finis uel eorum que sunt ad finem; set intentio non est finis nec eorum que sunt ad finem; 5 ergo etc. Minor patet, quia actus uoluntatis respectu finis dicitur uelle, respectu autem eorum que sunt ad finem dicitur eligere; quorum neutrum est intentio; ergo etc.

[2] Item naturalia intendunt finem, ut dicitur I I Phisicorum; set in eis non est uoluntas; ergo etc. 10

[3] In contrarium est quia meritum et demeritum pertinent ad uoluntatem; set tam meritum quam demeritum attenduntur maxime secundum intentionem secundum AMBROSIVM; ergo etc.

Responsio. Si sequeremur interpretationem nominis intentionis, cum intendere sit ex uno in aliud tendere, possemus dicere quod 15 intentio esset actus rationis cuius est ex uno cognito ratiocinando in aliud tendere, et pedis cuius est uno loco in alium tendere, et similiter plurium aliorum; set quia interpretatio nominum est quandoque nimis lata (non enim omne ledens pedem est lapis, nec omne tritum a pede est petra), ideo in significatis nominum magis 20 sequendus est usus loquentium quam interpretatio eorum.

[4] Dicenda sunt ergo tria. Primum est quod intentio est actus uoluntatis. Secundum est quod est respectu finis. | Tertium est quod 25 est respectu finis non absolute, set ut per aliquid aliud peruenitur ad finem.

[5] Primum patet dupliciter. Primo sic: intendere importat in aliquid tendere, tendit autem in aliquid et actio mouentis et mobilis; set quod mobile tendat in aliquid, hoc procedit ex actione mouentis. Ex hoc sic arguitur: illi potentie precipue conuenit intendere cui

9 II Phisicorum] Arist., *Phys.*, II, 8, 199b30

13 secundum Ambrosium] Ambr., *De officiis*, I, 30, 147 (53,31-32); ap. Lomb., *Sent.*, II, 40, c. unic., n.2 (557,5-6)

14 Responsio] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 38, 1, 3, sol. (974-975); cf. etiam Alb., *Super Sent.*, II, 38, 5, ad quaest. 1 (615b); Bonau., *Super Sent.*, II, 38, 2, 2, resp. (892b-893b); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 38, 2, 3, resp. (322a); Aeg. Rom., *Ord.*, II, 38, 2, 1, resp. (570aB-571aC); Rich. de Mediau., *Super Sent.*, II, 38, 3, 2, resp. (474b); Duns Scot., *Ord.*, II, 38, q. unic., resp. (450-452); *Lect.*, II, 38, q. unic., resp. (372-374); *Report.*, II, 38, q. unic., resp. (200-201); Iac. Met., *Super Sent.*, II, 38 (T102ra-b; Vb71va-b)

26 intendere ... 27 mouentis] cf. Thom., *S.th.*, I-II, 12, 1, resp.

30 competit motus actiue et passiuę; set sola uoluntas est huiusmodi;
 ergo etc. Maior patet; set minor probatur. Aliis enim potentiis a
 uoluntate competit tendere ex uno in aliud solum passiuę, sicut
 rationi competit discurrere ex uno cognito in aliud; set hoc habet
 actiue uoluntate imperante discursum, et similiter est in aliis;
 35 uoluntas autem tendit quidem ex uno uolito in aliud, set hoc aliquo
 modo habet a se actiue et non solum passiuę, sicut alie potentie, sicut
 alias declaratum fuit; ideo etc. Item nullus intendens ad malum
 operatur, ut uult DIONYSIVS *De diuinis nominibus*; illius
 ergo potentie intentio est actus cuius obiectum est bonum et malum;
 40 hec autem est uoluntas; ergo etc.

[6] Secundum sic patet: inter uolita illud habet rationem intenti
 quod habet rationem termini; intentio enim importat motum, motus
 autem per se respicit terminum et non medium nisi ratione termini;
 set finis habet rationem termini, ea autem que sunt ad finem
 45 rationem medii; ergo etc.

[7] Tertium apparet ex eodem; omnis enim motus est ex quodam
 in quoddam; intentio autem non importat simplicem actum
 uoluntatis, set motum; ergo intentio est actus uoluntatis ex quodam
 uolito tendens in aliud. Illud autem in quod tendit est finis, ut iam
 50 dictum est; illud autem ex quo uel per quod tendit est res ordinata ad
 finem; ergo etc. Aduertendum tamen quod, licet sic proprie utamur
 nomine intentionis, tamen in communi usu loquendi quandoque
 nomine intentionis sumitur large pro actu uoluntatis, quo immediate
 uolumus aliquid, precipue in operabilibus, sicut dicimus quandoque
 55 quod intendimus ire ad talem locum uel incedere uel aliquid
 huiusmodi.

[8] Ad primum argumentum dicendum quod *intentio proprie est
 actus uoluntatis respectu finis; set uoluntas potest respicere finem
 dupliciter: uno modo prout in eo quiescitur, et hoc modo actus
 60 uoluntatis dicitur fruitio, alio modo secundum quod est terminus*

37 alias] cf. supra, II, 25, 1

nullus ... operatur] ps.-Dionys., *De diu. nom.*, 4 (236b-c) et 31 (304b-c): transl. Sarraceni;
 ap. Thom., *Super Sent.*, II, 42, 2, 1, ad 7 (1070); *S.th.*, I-II, 72, 1, resp. et I-II, 79, 2, arg. 2

46 omnis ... 47 quoddam] cf. Arist., *Phys.*, VIII, 7, 261a32-33; *De caelo*, II, 6, 288b29-30

57 intentio ... 61 finem] Thom., *S.th.*, I-II, 12, 1, ad 4

36 sicut² ... 37 fuit] distinctione 24 questione 2 et 3 huius et distinctione 1 questione 3
 primi *i.m. add. π*

alicuius quod in ipsum ordinatur, et sic intentio respicit finem que differt ab electione; electio enim est directe de his que sunt ad finem, licet in habitudine ad finem; set intentio est directe de fine, licet in habitudine ad ea que sunt ad finem modo quo dictum est forte differentia electionis ab intentione et e conuerso est solum secundum 65 rationem; cum enim simul et eodem actu uoluntas feratur in finem et in ea que sunt ad finem, simul et eodem actu finem intendit et ea que sunt ad finem; dicitur ergo actus intentio quoad finem, set electio quantum ad ea que sunt uolita propter finem, uelle autem proprie dicit actum uoluntatis absolute respectu boni, non inclusa ratione 70 finis uel eorum que sunt ad finem; cum enim rationes eorum sint relatiue, impossibile est quod uoluntas feratur absolute in aliquid eorum sub propriis eorum rationibus; set si feratur in unum, fertur et in alterum, cum referantur mutuo secundum rationem bonitatis in eis existentis. Quod autem dicit PHILOSOPHVS III E t h i c o r u m , 75 quod *uoluntas est finis*, non est intelligendum cum reduplicatione, scilicet quod sit finis in quantum finis, set quia nihil potest habere rationem finis, nisi habeat aliquam bonitatem in se, ratione cuius uoluntas potest ferri in ipsum absolute; multa autem ordinantur in finem que nullam habent bonitatem in se et absolute, set solum ex 80 ordine in aliud, puta medicina amara; ideo uoluntas magis dicitur esse finis quam eorum que sunt ad finem, licet neutrorum sit cum reduplicatione, quia uelle dicit actum uoluntatis respectu boni absolute.

[9] Ad secundum dicendum quod naturalia dicuntur intendere 85 finem metaphorice et non proprie, quia appetitus eorum non dirigitur in finem a se uel ab aliquo sibi coniuncto, set ab intellectu

62 electio ... 64 finem] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 38, 1, 3, ad 5 (975); *S.th.*, I-II, 12, 4, ad 3
66 cum ... 68 finem] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 38, 1, 4, sol. (976-977); *S.th.*, I-II, 8, 3,
resp. et 12, 4, resp.; *De uerit.*, 22, 14, resp. (648,90-100); Bonau., *Super Sent.*, II, 38, dub. 4
(896a-b); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 38, 2, 4, resp. (322a-b); Aeg. Rom., *Ord.*, II, 38,
2, 3, resp. (577aA-578aC); Rich. de Mediau., *Super Sent.*, II, 38, 3, 4, resp. (476b); Duns
Scot., *Report.*, II, 38, q. unic., resp. (201a-b)
69 uelle ... 70 boni] cf. Thom., *De uerit.*, 22, 13, resp. (645,182)
75 Philosophus ... 76 finis] Arist., *Eth. Nic.*, III, 2, 1111b26: transl. Grosseteste; cf. Thom.,
De uerit., 22, 13, ad 9 (646,256-257)
85 naturalia ... 92 improprie] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 38, 1, 3, sol. (975) et ad 2 (975);
S.th., I-II, 1, 2, resp.; 12, 5, resp.; Bonau., *Super Sent.*, II, 38, 2, 1, resp. (890b-891b); Rich.
de Mediau., *Super Sent.*, II, 38, 3, 1, resp. (474a)

separato instigante naturam, et ideo magis aguntur quam agant; uoluntas uero mouet se saltem indirecte, quatenus mouet rationem
 90 ad deliberandum, que congruunt fini, uel non; et ideo magis competit ei intendere quam nature, cui non competit nisi secundum quid et improprie. |

π194rb

QVESTIO TERTIA

VTRVM SIT IDEM VOLVNTATIS ACTVS RESPECTV FINIS ET EORVM QVE
 SVNT AD FINEM

[1] Tertio queritur utrum sit idem uoluntatis actus respectu finis et
 5 eorum que sunt ad finem. Et uidetur quod non, quia idem actus non potest esse intensus et remissus; set uoluntas intensius fertur in finem quam in illud quod est ad finem; ergo etc.

[2] Item frui est actus uoluntatis respectu finis, uti uero respectu eorum que sunt ad finem; set idem actus non potest esse fruitionis et
 10 usus; ergo etc.

[3] Item sicut se habet intellectus ad principia et ad conclusiones, sic uoluntas ad finem et ad ea que sunt ad finem; set intellectus non eodem actu fertur in principia et conclusiones; ergo etc. Minor probatur, quia plurium habituum non est idem actus; set alius est
 15 habitus intellectus respectu principiorum, qui dicitur intellectus, alius respectu conclusionum, qui dicitur scientie; ergo etc.

[4] Contra. Vbi unum propter aliud utrobique tantum unum est; cum ergo uoluntas uelit finem et illud quod est ad finem propter finem unum, tunc uult propter alterum; ergo idem est uelle
 20 utrobique.

[5] Item duo actus uolendi non possunt esse simul, set uoluntas simul uult finem et illud quod est ad finem propter finem; ergo non sunt actus plures, set unus. Quod autem uoluntas simul uelit finem et illud quod est ad finem, inquantum huiusmodi, patet, quia sicut ea

88 magis ... agant] cf. Ioh. Dam., *De fide orth.*, II, 27, 41 (153,19-20); ap. Petr. de Tarant., *Super Sent.*, II, 38, 2, 1, resp. (321a)

15 intellectus² ... 16 scientie] cf. Thom., *S.th.*, I-II, 57, 2; Arist., *Eth. Nic.*, VI, 6, 1140b1-1141a8; 3, 1139b31-32

17 Vbi ... unum²] cf. Arist., *Top.*, III, 2, 117a18-19; ap. Thom., *S.th.*, I-II, 8, 3, arg. 1

que referuntur in ratione entitatis simul intelliguntur, sic ea que 25
referuntur in ratione bonitatis, sicut finis, et ea que sunt ad finem
necessario simul appetuntur.

[6] Responso. Primo uidendum est qualiter uoluntas se habet ad
finem et ad ea que sunt ad finem. Hoc autem ostendendum est ex
similitudine eorum que inueniuntur in intellectu. Videmus autem 30
quod intellectus assentit alicui tanquam per se noto, sicut primis
principiis, et hic assensus uocatur intellectus; aliis autem assentit
tanquam notis propter aliud, sicut conclusionibus deductis ex primis
principiis, et hic assensus uocatur scientia uel aliquo alio nomine, et
ad alterum istorum reducitur omnis assensus intellectus, siue in 35
speculatiuis siue in practicis. Similiter uoluntas fertur in aliquid
absolute tanquam in bonum per se, et hic motus uoluntatis dicitur
simplex uelle et in aliud fertur, non tanquam in bonum secundum se,
set sicut in bonum propter aliud, et hic actus dicitur eligere uel
intendere diuersis rationibus, ut dictum est, et ad alterum duorum 40
reducitur omnis motus uoluntatis.

[7] His premissis dicendum quod questio potest dupliciter intelligi.
Vno modo utrum actus quo uoluntas uult finem absolute, puta
sanitatem, qui actus dicitur uelle, et actus quo uult aliquid propter
fine, uel finem, ut per aliud acquiritur, qui actus dicitur eligere uel 45
intendere, sit unus actus. Alio modo utrum electio uel intentio, que
respiciunt tam finem quam ea que sunt ad finem, sint unus actus an
plures. Primo modo questio non est dubia; constat enim quod sunt
plures actus, quia que separari possent non sunt unum per essentiam;
set actus uoluntatis quo aliquid uult absolute, puta sanitatem, 50
separari potest ab actu electionis et intentionis; contingit enim
uolentem sanari nihil cogitare, et per consequens nihil uelle de his
per que acquiritur sanitas; ergo etc.

[8] Si uero intelligatur secundo modo utrum electio uel intentio
sint unus actus, dicendum quod sic. Quod patet tripliciter. Primo ex 55
natura horum actuum secundum se; electio enim non est aliud quam
inclinatio uoluntatis in aliquid propter finem, intentio uero est
inclinatio uoluntatis in finem mediantibus his que sunt ad finem. Ex

28 Responso] cf. Iac. Met., *Super Sent.*, II, 38 (T101va-102ra; Vb71ra-va); Guill. Petr. de
God., *Lect. Thom.*, II, 38, 3 (G59a-b)

36 uoluntas ... 40 intendere] cf. Thom., *De uerit.*, 22, 14, resp. (648,91-95)

40 ut ... est] cf. supra, II, 38, 2, §8

55 Primo ... 63 finem] cf. Thom., *S.th.*, I-II, 8, 2, sed contra; 12, 4, sed contra

hoc sic arguitur: sicut unus est motus quo mobile fertur in terminum
 60 per media, sic est una inclinatio qua inclinatur ad terminum per
 medium uel in medium propter terminum; set electio uel intentio
 uoluntatis est inclinatio eius in finem tanquam in terminum
 mediantibus his que sunt ad finem; ergo etc.

[9] Secundo apparet idem ex comparatione actuum uoluntatis
 65 inter se, quia, si electio uel intentio diuideretur ad duos actus
 uoluntatis, diuideretur in actum simplicem, qui est uelle, et in
 electionem uel intentionem; quod patet ex | premissis, quia omnis π194va
 actus uoluntatis reducitur in aliquem istorum duorum; set electio
 non potest diuidi in eligere et uelle; ergo etc. Maior patet. Minor
 70 probatur, quia nihil diuiditur in illud quod contra ipsum diuiditur,
 sicut animal non diuiditur in animal et plantam, cum unum
 contineat totum diuisum, reliquum uero diuidatur contra ipsum;
 electio autem diuiditur contra uoluntatem uel contra uelle simplex;
 ergo etc.

[10] Tertio apparet idem ex obiecti formalis ratione, quia
 quandoque duo sic se habent quod unum est alteri ratio quod cadat
 sub actu alicuius potentie, illa duo apprehenduntur actu eodem, sicut
 color et quantitas eadem uisione apprehenduntur, quia color est
 formalis ratio, ut quantitas uideatur, set quando aliquid appetitur
 80 propter finem uel quando finis intenditur in eo quod est ad finem,
 finis est tota ratio appetendi illud quod est ad finem, nec refert ad
 propositum, siue illud quod est ad finem habeat secundum se aliquid
 appetibilitatis, ut electuarium dulce, uel non, ut medicina amara,
 quia inquantum appetitur propter finem, puta propter sanitatem,
 85 sanitas est tota ratio appetendi ea; ergo etc.

[11] Ad primum argumentum dicendum quod actus quo uoluntas
 uult finem et illud quod est ad finem propter finem non est intensior
 et remissior secundum se, set per comparationem ad obiecta, quia
 cum sit a duobus, ab uno est perfectius quam ab altero, sicut dicitur I
 90 propositione *De causis* quod prima causa plus influit quam
 secunda, quanuis unum sit quod influitur, quia respectu illius causa
 prima principalius se habet quam secunda. Vel potest dici quod licet
 uoluntas uelit intensius finem quam ea que sunt ad finem, quando
 sub distinctione ei proponuntur, puta si diceretur infirmo utrum
 95 magis uellet potionem an curationem, statim responderit quod

sanitatem, tamen cum proponitur copulatiue, unum propter alterum, eque intense appetuntur.

[12] Ad secundum dicendum quod inconueniens est idem esse obiectum usus et fruitionis, quia idem non potest habere rationem ultimi finis, cuius est frui, et relati ad finem, cuius est usus; set 100 nullum inconueniens est eundem actum esse usum et fruitionem, et in patria quidem necesse est sic esse; sicut enim eodem actu beatifico uidet quis Deum et res creatas in ipso, sic eodem actu diligit quilibet beatus Deum et fruitur eo, et diligit creaturas referendo in Deum, et sic utitur eis; eodem modo est in uiatoribus. Vel dicendum quod non 105 omnis actus uoluntatis est fruitio respectu finis, set respectu finis in se, non autem ut est uirtualiter in eo quod est ad finem, sicut in proposito.

[13] Ad tertium dicendum quod intellectus eodem actu fertur in principia et conclusiones, quando conclusiones deducit ex principiis, 110 non autem quando absolute fertur in principia, sicut proportionabiliter dictum est de uoluntate respectu finis et eorum que sunt ad finem. Et quod obiicitur quod idem actus non potest elici a duobus habitibus, dicendum quod intellectus est habitus quo fertur mens nostra in prima principia absolute, scientia autem est 115 habitus conclusionum deductarum ex principiis, et actus his habitibus correspondentibus sunt diuersi; set quando intellectus fertur in principia non absolute, set in quantum sunt principia (sic enim dicuntur relatiue ad conclusiones tanquam ad principiata), cognitio principiorum et conclusionum pertinet ad eundem habitum, scilicet 120 ad scientiam.

QVESTIO QVARTA

VTRVM OMNIVM BONARVM VOLVNTATVM SIT VNVS FINIS

[1] Deinde queritur utrum omnium bonarum uoluntatum sit unus finis. Videtur quod non, quia si esset unus omnium bonarum uoluntatum, hic esset Deus; set Deus non est finis omnium bonarum 5

III sicut ... 113 finem] cf. supra, II, 25, 1

uoluntatum; ergo etc. Probatio minoris, quia quod non est cognitum non est intentum; set in omni bona actione non est necessarium de Deo cognoscere; ideo etc.

[2] Item malarum uoluntatum non est unus finis, ergo nec bonarum. Consequentia patet per simile. Probatio antecedentis, quia uoluntates male contrarie sunt circa idem, sicut uoluntas prodigi et auari; talia autem non uidentur posse ordinari in unum finem; ergo etc. |

π194vb

[3] In contrarium est quia finis et agens sibi correspondent; set omnium est unum principium agens; ergo unus ultimus finis.

[4] Responsio. Cum queritur de fine uoluntatis, intelligendum est de fine quem intendit uoluntas in actu suo considerato secundum esse morale, sicut dans eleemosynam intendit mereri aliquid apud Deum uel ad uanam gloriam apud homines, in quo sensu uidetur procedere questio. Dicendum ergo quod est finis proximus et remotus, proximus finis omnium bonarum uoluntatum est unus et idem secundum speciem, circa eandem materiam, simpliciter autem non est idem. Primum patet, quia recte agere contingit solum uno modo, deficere autem multipliciter, ut patet ex *I I E t h i c o r u m*; set modus quo contingit recte agere *est tota causa* secundum DIONYSIVM, in qua precise includitur finis; unde et PHILOSOPHVS dicit quod *cuius causa* fit aliquid maxime attendendum est in actu morali, ergo finis proximus idem secundum speciem intenditur ab omni bona uoluntate circa eandem materiam secundum speciem; et in hoc differt bona uoluntas a mala, quia male uoluntates circa eandem materiam feruntur in diuersa, et quandoque in contraria, sicut uoluntas intemperata et insensibilis circa delectabilia gustus et tactus; set uoluntates bone feruntur in idem, et propter idem, quia propter bonum uirtutis quod est unum.

[5] Secundum patet, quia finis proximus proportionatur his que sunt ad finem; set ea circa que sunt bone uoluntates sunt differentia secundum speciem, ut patet in obiectis diuersarum uirtutum; quare etc. Vnde PHILOSOPHVS in *I E t h i c o r u m* dicit quod *multis operationibus* existentibus *et artibus et doctrinis multi sunt et fines*. Si

23 quia ... 26 Dionysium] cf. Thom., *Sent. Eth.*, II, 7 (98,1-12)

recte ... 24 Ethicorum] Arist., *Eth. Nic.*, II, 6, 1106b28-31

25 est ... Dionysium] ps.-Dionys., *De diu. nom.*, 4 (298d): transl. Sarraceni

26 Philosophus ... 28 morali] Arist., *Eth. Nic.*, III, 1, 1111a18-19: transl. Grosseteste

38 Philosophus ... 39 fines] Arist., *Eth. Nic.*, I, 1, 1094a6-8: transl. Grosseteste

uero loquamur de fine ultimo, sic de eo possumus loqui dupliciter. 40
 Vno modo secundum generalem rationem ultimi finis. Alio modo
 secundum illud in quo specialiter ratio finis ultimi inuenitur. Primo
 modo omnium uoluntatum, tam bonarum quam malarum, est unus
 ultimus finis. Quod patet; ratio enim generalis ultimi finis est bonum
 perfectum quietans uoluntatem; in ultimo enim est quies; in 45
 imperfecto autem inquantum huiusmodi, nihil quiescit, set mouetur
 ad suam perfectionem, quia *motus est actus imperfecti*; ergo ratio
 ultimi finis est quod sit bonum perfectum. Istud finaliter intenditur
 ab omni uoluntate; ad hoc enim tendit finaliter omnis uoluntas
 inquantum potest, ut possit carere malo et adipisci bonum; tale 50
 autem est bonum perfectum; nam bonum imperfectum inquantum
 imperfectum habet aliquo modo rationem mali; ergo etc.

[6] Quantum uero ad illud in quo ratio specialis ultimi finis
 consistit, sciendum est quod uoluntas bona aut sequitur rationem
 syllogizantem ex principiis fidei aut syllogizantem solum ex principiis 55
 legis naturalis. Si sequatur rationem syllogizantem ex principiis fidei,
 sic omnium bonarum uoluntatum est unus finis ultimus, scilicet uita
 eterna. Quod patet dupliciter. Primo, quia uoluntas non est bona,
 nisi precedat ratio recta practica; ubicunque ergo processus rationis
 practice deriuatur ex uno principio, ibi electio uoluntatis et eius 60
 intentio terminatur ad finem unum, quia principium rationis
 practice est finis; set totus processus rationis practice syllogizantis ex
 principis fidei deriuatur ex uno primo principio, scilicet ex uita beata;
 unde et tam Christus quam Ioannes sic arguebant: *Penitentiam agite*
et appropinquabit regnum celorum, sic et in alio loco: *Si uis ad uitam* 65
ingredi, serua mandata, et huiusmodi similia; ergo etc. Secundo, quia
 illud quod est ultimum in assecutione est principium in intentione;
 set ultimum quod assequuntur omnes bone uoluntates illuminate per
 fidem est uita bona; ergo etc.

[7] Si autem uoluntas sequatur rationem deliberantem ex principiis 70
 legis naturalis, sic magis dubium est an omnium bonarum
 uoluntatum sit unus finis, et si est unus, quis sit ille. Nam finis
 supernaturalis, de quo iam dictum est, expectatur ex alterius munere,

44 ratio ... 48 perfectum] cf. Thom., *S.th.*, I-II, 1, 5, resp.; 2, 8, resp.

47 motus ... imperfecti] cf. Arist., *Phys.*, III, 2, 201b31-32; *De an.*, III, 7, 431a6-7

64 Penitentiam ... 65 celorum] *Matth.*, 3,2

65 Si ... 66 mandata] *Matth.*, 19,17

67 illud ... intentione] cf. *Auct. Ar.*, 12, 49 (236,69-70)

et est unus, quia unum est quod nobis pro premio datur, scilicet uisio
 75 beata, set finis naturalis attingitur proprio opere; est enim usus
 alicuius principii naturalis; operationes enim sunt fines, ubi preter
 operationes non sunt operata, ut dicitur I E t h i c o r u m ; cum
 igitur principia operationum multa sint in nobis et habitus uirtuosi,
 quibus redditur opus bonum, multi | sunt et non unus tantum, $\pi 195^m$
 80 uidetur quod non possit esse unus finis omnium bonarum
 uoluntatum.

[8] Set hoc non obstante probabilius tenendum est quod ut unus
 ultimus finis omnium bonarum uoluntatum, quia licet sint in nobis
 principia multa actuum et multi habitus et actus, est tamen in eis
 85 ordo, quia potentia ordinatur ad potentiam et habitus ad habitum et
 actus ad actum, sicut sensitiuum ordinatur ad intellectum et habitus
 et actus sensitiue partis ad habitus et actus intellectiuos; licet igitur
 propria operatio secundum unamquamque uirtutem sit finis proximus
 illius uirtutis, operatio tamen perfectissime potentie secundum
 90 perfectissimum habitum respectu perfectissimi obiecti est finis
 ultimus omnium potentiarum et habituum inferiorum, et hoc modo
 ponit PHILOSOPHVS I V E t h i c o r u m felicitatem, que est optima
 operatio, esse totius uite humane finem. Nec tamen oportet quod hic
 finis actu et explicite intendatur in quolibet actu bone uoluntatis, set
 95 sufficit quod intendatur habitu, sicut ad bonam uoluntatem
 sequentem rationem illuminatam per fidem non requiritur quod
 semper actu explicite intendatur beatitudo; multi enim sunt bene
 fideles, qui explicite nesciunt quid sit beatitudo, etiam illi qui sciunt
 non semper in quolibet bono actu de ipsa cogitant; set sufficit quod a
 100 principio ordinent actus suos ad salutem, et uirtus huius ordinis
 remanet in actibus meritoriis qui succedunt, et eodem modo sufficit
 in bonitate morali, a principio intendat homo ea que deducunt ad
 uirtutem perfectam, que intentio habitu manet in omnibus actibus
 sequentibus.

76 operationes! ... 77 operata] Arist., *Eth. Nic.*, I, 1, 1094a3-5; cf. Thom., *Sent. Eth.*, I, 1 (6,189-192)

91 et² ... 93 humane] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 38, 1, 2, sol. (971)

92 Philosophus ... 93 humane] Arist., *Eth. Nic.*, X, 7, 1177a12-13; etiam I, 7, 1097b20-21; cf. Thom., *Sent. Eth.*, X, 10 (582,10-11)

93 Nec ... 104 sequentibus] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 38, 1, 1, ad 4 (969)

97 actu] *coni.*: acta π

[9] Per hoc apparet solutio ad primum argumentum.

105

[10] Ad secundum dicendum quod non est simile de malis uoluntatibus et de bonis. Nam male uoluntates sunt per auersionem a bono, quod contingit multipliciter, bone uero per conuersionem ad bonum, quod contingit uno modo circa eandem materiam. Item non est aliquod perfectum malum ad quod male uoluntates ultimo 110 ordinentur, sicut est perfectum bonum, ad quod bone uoluntates finaliter tendunt; propter quod malarum uoluntatum non est idem finis neque simpliciter nec circa eandem materiam.